FRID. SAM. DE SCHMIDT

Ser. Princ. March. Bada-Durlacensis Consil. Aulici, Acad. Reg. Inscript. & Lib. Art. Paris. Lugdun. Monspel. Tolos. Nemaus. Massil. Societ. Antiq. Londin. Etruscae Corton. Recup-Patav. Luccensis, Volaterr. Goetting. Boicae, Basil. Bernensis Socii

OPVSCVLA

QVIBVS

RES ANTIQVAE

PRAECIPVE

AEGYPTIACAE

EXPLANANTVR.

CAROLSRVHAE

IN OFFICINA MACKLOTTIANA

MDCCLXV.

SYLLABVS
COMMENTATIONVM
QVAE
IN HOC VOLVMINE
CONTINENTVR.

Prima harum Scriptionum exſtat in EXCERPTO TOTIVS ITALICAE NEC NON HELVETICAE LITTERATVRAE *T. 2. P. 2. Art. 1. A. 1760.*

Secunda & Tertia ibid. T. 3. P. 2. Artic. 2. & 3. A. 1759. Omnes vero nunc prodeunt auctiores.

Duæ ultimæ nondum vulgatæ fuerunt; prior ab ILLVSTRISS. ACAD. REG. INSCRIPT. ET LIB. ART. PARIS. *præmio digna judicata eſt Anno 1762. In ea nihil immutatum fuit præter notas, quas Auctor hinc atque illinc ex iis Scriptis addidit, quæ demum publicata fuerunt, poſtquam hoc Opuſculum Illuſtriſſimæ Academiæ oblatum fuit.*

Diſſ.

DISSERTATIO PRIMA

DE

ZODIACI NOSTRI ORIGINE ÆGYPTIA

AD

PERILLUSTRES SODALES

SOCIETATIS ANTIQUARIORUM

LONDINENSIS.

DISSERTATIO PRIMA

DE

ZODIACI NOSTRI ORIGINE ÆGYPTIA

AD

PERILLUSTRES SODALES SOCIETATIS ANTIQUARIORUM LONDINENSIS.

Cum multa egregie, Sodales Eruditiſſimi, a Gente veſtra ad Litterarum incrementa inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quam quod perilluſtris Veſtra Societas, circa res antiquas, quibus nihil nobilius eſſe poteſt, ſeria verſatur cura. Quid vero antiquius ſideribus Signiferi

Circuli, de quibus nunc agere in animo eſt? unde fere omnis Ægyptiorum & Græcorum fabuloſa Hiſtoria pendet. Quid magis officii mei, quam Scriptionem iſtam honori & meritis Veſtris nuncupare? Vobis enim quantum debeam in publicis Societatis Veſtræ Monumentis continetur, quibus & Patris mei, meumque nomen inſcripſiſtis. Ego vero reverentiæ Veſtræ ſic ſemper inſerviam, non, ut me Societatis membrum, ſed ut Candidatum ejus putem.

De Origine Signorum Zodiaci noſtri dicere inſtitui, craſſis enim latet occultata & circumfuſa tenebris; cujus quidem tantæ & tam difficilis rei certam cognitionem me aſſecutum fuiſſe non profiteor; conjectationem tantum promitto, quæ veroſimilis videtur. Sed antequam illam proponam breviter agendum erit de variis ſententiis, quæ hac

hac de re olim floruere, hodieque inter eruditos circumferuntur.

Vetus vulgi opinio eſt Signa Zodiaci Stellarum ſuarum poſitione eas efficere figuras, quibus repræſentantur; ſed hæc accurate confutata ſunt ab Eruditiſſ. Salmasio in Præfatione Libri, qui inſcribitur De Annis Climactericis. Ubi idem Philoſophus optime refellit eorum mentem, qui Sidera Orbis Signiferi ob vim ſuam, quam in terrena transfundunt, iis putant inſignitas figuris, quibus ea notata deprehendimus; iſti fingunt Leonem in Signo ſuo collocatum fuiſſe, propterea quod obſervaſſent antiqui, eos, qui ſub hoc Animali naſcuntur, ejus naturam habere. Quorum ſi vera eſſet ſententia, ſequeretur perabſurdum illud, Aſtrologiam diviſionem & Denominationem Signorum Zodiaci præceſſiſſe.

Sunt porro levia & perinfirma, quæ dicuntur de Apotheosi filiorum Jacobi Patriarchæ in duodecim signis iis repræsentationibus adumbrata, quæ cum Jacobi oraculis, in filios suos editis, conveniunt *a)*. *Ruben* est Aquarius, quia juxta hujus Auctoris conversionem, Jacobus de eo dixit, *ut Aquam te præcipitasti b)*. *Gad* est Capricornus, quia *Guedi* in Hebræorum sermone Hircum notat; quæ, quamvis vitiosa sint, non ita tamen jejuna, quam illa de Cancro, qui in hac opinione *Benjaminis* Signum est, propterea quod de eo Vates ait: *mane devorat prædam, & ad Vesperam dividit spolium c)*. Hæc, in-

a) Hanc sententiam ab Auctore, cujus nomen ignoratur, profectam, reperimus in *Histoire de l'Acad. R. des Inscr. & Belles Lettres.* T. V. 31. seq.

b) Genes. 49, 4.

c) Genes. 49, 27.

inquit hujus ſententiæ auctor, eſt plenaria rerum & naturæ inverſio, devorare prædam, poſtea vero eam dividere; hinc Cancer retrogradum animal in hoc ſigno collocatum.

Nunc operæ pretium eſt cognoſcere perelegantem Macrobii ſententiam, cui placet figuras nominaque Signorum Zodiaci fundamentum ſuum habere in varia horum ſiderum relatione ad Solem. Fortiſſimum hujus opinionis præſidium in Cancri & Capricorni Signis ſitum eſt, de quibus hæc habet Macrobius *d)*: *Cancer animal retro & oblique cedit. Eadem ratione Sol in eo Signo obliquum, ut ſolet,* in-

d) Saturn. I. 17. Videatur etiam l. 21. ubi fere idem Syſtema, relationem nempe Signiferi Circuli ad Solem, quoad cetera ejus Sidera exhibet.

incipit agere regressum. Capræ vero consuetudo hæc in pastu videtur, ut semper altum pascendo petat. Sed & Sol in Capricorno incipit ab imis in alta remeare.

HANC opinionem MACROBII nostris temporibus sibi adoptasse auxisseque visus est Abbas PLUCHE, qui tamen mihi, omnibus rite perpensis, novam hac de re conjecturam proposuisse videtur, nam prior horum Auctorum, ut modo declaravi, putat Signa Zodiaci nomina sua sortita esse ab ea tantum relatione, quam habent ad Solem *e*), posterior vero, quamvis in quibusdam MACROBIO consentiat, præcipue eorum originem iis deberi arbitratur,

e) Macrobii mentem, melius quam ab Abbate *Pluche* factum est, intellexit Heinius in Differt. quæ inscribitur *sur Oenipodas de Chio* in *Mem. de Berlin* T. 2. 417. ubi hæc sententia novis etiam argumentis adstruitur.

tratur, quæ non modo in cœlo ſed etiam in terra in hominum Societatibus iis fiunt temporibus, quibus Sol ea ſigna percurrit. Exemplo ſint ſequentia ex ejus ingenioſiſſimo Libro, qui Hiſtoria Cœli inſcribitur, deſumta, ubi de quatuor ultimis Zodiaci ſignis hæc habet *f*): *Morbi, quos recedens Sol in autumno importat, per Scorpium adumbrantur, virulentum telum ſecum ferentem. Venatio, qua Veteres feras exturbabant ea tempeſtate, qua arbores foliis denudari conſueverunt, apprime per hominem ſagitta vel Clava inſtructum repræſentari potuit. Aquarius ad hiemales pertinet pluvias; piſces ligati, aut rete capti, piſcatum innuunt, qui ineunte vere optimus eſt.*

Hanc Zodiaci denominationem Abbas Pluche ad remotiſſima Diluvii tempora aſcendere putat, contra

f) Lib. I. c. 3. p. II. Ed. Pariſ. 1739.

quam ſententiam multa ſcripta ſunt ab eruditiſſimis Viris LE MIRE *g*), & DE LA NAUZE *h*), quorum argumenta huc facientia tangere nolo; MACROBII enim atque PLUCHII conjectationes neque confirmare, neque refellere in animo eſt, iis quiſque pro ingenio ſuo demat vel addat fidem.

Reſtat, ut ſententiam Cel. GOGUETI expendam, qui peculiari eruditiſſimi operis ſui ſegmento *i*) hanc rem per-

g) *Mémoires de Trevoux Ann. 1740. Juin. pag. 1151. seq. Lettre du P. le Mire de la Comp. de Jeſus, -- au ſujet de l'invention du Zodiaque attribuée par l'Auteur du Spectacle de la Nature aux prémiers deſcendans de Noë.*

h) *Hiſtoire du Calendrier Egyptien par M. de la Nauze, in Mémoires de l'Acad. R. des Inſcript.* T. XIV. 358.

i) *Diſſertation ſur les Noms & les figures des Conſtellations, in Origine des Loix, des Arts &*

pertractavit. Ille vero censet Signa Zodiaci istis temporibus Gentibusque deberi, quæ Litterarum Elementis destituebantur, iis vero, cum Astronomiæ Contemplationes scripto consignare vellent, Hieroglyphicis utendum fuit Litteris, quæ tum solæ habebantur, quæ oblique tantum rei repræsentatæ conveniebant, & plerumque ex animalibus constabant. In planisphæriis itaque suis Astronomicis unius sideris stellas per lineas invicem jungebant, adjiciebant porro ejus nomen scriptum per formas Hieroglyphicas, tum enim nondum erant Litterarum Elementa. Hieroglyphicæ autem istæ notæ mox ipsorum signorum loco constitui cœpere, sed earum rationem reddere non valemus, quia ad antiquæ istius Scripturæ scientiam aditus nullus patet. Hanc

& des Sciences T. II. p. 731 - 780. Edit. Hagæ Comitum. 8. 1758.

Hanc ego ſubtilitatem ſolertiſſimo Gogueto dignam judico, ſed a veritate remotiſſimam.

Nunc venio ad conjecturam meam, juxta quam Græci Zodiacum, quo hodie utimur, ab Ægyptiis accepere, qui quodlibet Signum uni ex Diis ſuis ſingulari modo conſecrarunt *k)* & iis re- præ-

k) Diſſertationem meam de Zodiaco cum Viro Summo Daniele Bernoullio communicavi, qui monuit ſibi videri diviſionem Zodiaci eſſe antiquiorem Polytheiſmo Ægyptiorum addebatque ſic meam non deſtrui conjecturam; dicebat enim vetuſtiſſimis temporibus Aſtronomos Aegypti Animalium figuras in Zodiaci Signis depinxiſſe, quia hac ratione commode ſideris alicujus ſtellæ diſcerni queunt, dum hæc in capite, illa in cauda, alia in humeris, in corde alia collocata cenſetur; & novimus ſic conſtitutam hominum imaginationem, ut omnes indiſtinctæ confuſæque

præſentationibus inſigniverunt, quæ his Numinibus in eorum Hieroglyphicis notis ſacriſque monumentis tribui ſolebant; idque ita, ut unicuique horum Deorum, quantum id fieri potuit, illud ſidus ſacraretur, quod cum cultu, quem Aegyptii ei exhibuerunt, conveniret, & qui fere totus Aſtronomicus erat & Phyſicus, Aegyptiorum regioni adaptatus *l*).

DICAM

ſæque figuræ illis Animalium ſpecies animo informare videantur. Poſtea vero Aegyptii hæc Aſtra Diis ſuis conſecrarunt, uti Galilæus Jovis dicavit Satellites, vel ſicut Lunæ præcipua loca ab illuſtribus Philoſophis nomen habent; hinc tandem accidit, ut Animalia in Zodiaci Signis repræſentata, Deorum inſignia facta fuerint.

l) Accuratius adhuc hæc explicari poſſent, ſi de forma antiquiſſimi anni Aegyptiaci, quæ obſcuriſſima eſt, certius conſtaret.

Dicam igitur de ſingulis ſigniferi circuli ſideribus, ſi prius videro de Zodiaci Aegyptii atque Græci ſimilitudine. Sunt enim Philoſophi, & fuerunt, qui omnino Zodiacum Aegyptiorum & Græcorum diſpares fuiſſe arbitrantur; quorum ſi vera eſt opinio, quæ poteſt Græci Zodiaci origo eſſe Aegyptia? Totum igitur id, quod nobis opponunt, quid & quale ſit, ipſorum optimis verbis declarabimus: *Diſſimilitudo Zodiaci Aegyptii & Græci*, ait Eruditiſſ. de la Nauze, *m) nemini dubia eſſe poteſt.*

Achilles

m) L. c. 359. *Le Mire.* L. c. 1164. Eruditiſſimi iſti Viri, dum contra Abb. *Pluche* ſententiam diſputant, quæ Zodiaci ſignis ſummam Antiquitatem tribuit, unum ex præcipuis argumentis a diverſitate Zodiaci Græci & Aegyptii vel Chaldæi ſibi petendum autumant. Eandem defendit Scaliger in Manilium, & Clar. *Montucla* in *Hiſt. des Mathematiques* I. 85.

Achilles enim Tatius jam obſervavit Græcos ad Heroes ſuos & ad Hiſtorias ſuas nomina & conſtellationes Aegyptiorum referre, & res ipſa ſatis loquitur. Inſpiciamus integrum ACHILLIS TATII locum *n*): *Ob id penes varias nationes diverſa quoque reperiuntur nomina ſtellarum. In Aegyptiaca Sphæra neque draco in cenſum nominaque Siderum venit; neque Urſæ; neque Cepheus; ſed aliæ ſunt ſimulacrorum formæ, nominaque illis indita. Ita neque in Chaldæorum Aſtrologia. Græci porro vocabula iſta de inſignibus heroibus tranſtulerunt, ut comprehendi & agnoſci facilius poſſent.*

SI fallaci argumento uti vellem, dicerem, heic non de Zodiaco ſermonem eſſe; ſed alia ſuperſunt, quæ contra ACHILLEM TATIUM objicienda videntur.

n) Iſagoge in Arati Phænomena. Apud Petavium in Uranologio p.164.

dentur. Iſte enim auctor, recentior cum ſit o), non maximi in hac re momenti eſt, quia PLUTARCHO graviſſimo ſcriptori adverſatur, qui diſerte adſtruit Urſam in Sphæra Aegyptiorum conſpici p). Illud quoque apparet ACHILLEM TATIUM, & qui illum ſequuntur, non rite intellexiſſe differentiam Sphæræ Aegyptiæ & Græcæ, de qua Veteres ubique loquuntur; illa enim non in diſſimilitudine figurarum, ſed in diſpari eas explicandi modo conſiſtit. Cujus rei exempla quædam

o) Aldus Manutius Ep. 6. Ach. Tatium perantiquum putat: *P. le Mire* l. c. ſentit eum noni eſſe Seculi; nobis quidem incerta eſt ejus ætas: ſi tamen Auctores, quos citat, conſideremus, mediam viam incedendam exiſtimamus, quæ hunc Scriptorem ad quartum refert Seculum. Weidler Hiſt. Aſtron. 191.

p) De Iſide 359. Edit. Wechel. An. 1599.

dam proferam: Aries in Aegypto Jupiter cenſebatur Ammon; apud Græcos erat ille, de quo Phrixi agebant fabulæ. Taurus apud Aegyptios erat Apis; apud Græcos is, qui Europam abduxit. Sic Græci, ut poſteris Signiferum Circulum ſe inveniſſe perſuaderent fabulas ſuas in figuris horum Signorum repræſentatas eſſe dixerunt; etſi antiquiſſimis temporibus optime ſcirent longe alio modo hæc in Aegypto explicari, unde orbem ſigniferum acceperant; & ita accidit, ut mendacium furto ſe jungeret comitem *q)*. Sic Græci in tota ſua Mythologia, ea, quæ Aſtronomice in Aegypto intelligebantur, ad ſuæ Gentis homines, regiones

q) Hæc etiam ſatisfaciunt iis, qui ex Sphæræ Græcæ Græcis explicationibus, contendunt ejus figuras ab hac Gente originem cœpiſſe.

gionesque translata historice exponebant *r)*.

Nigidius duas scripsit Sphaeras, Graecam alteram, ubi siderum nomina juxta hujus Populi fabulas explicabat; alteram Barbaram, seu Aegyptiam; sic enim prae ceteris vocabant illam gentem, unde scientias omnes sumserant. Nunc vero non inquiro, an Aegyptiorum Zodiacus in omnibus cum illo Chaldaeorum conveniat, haec enim comitem habent quaestionem illam tantam & tot controversiis implicatam, de migrationibus, & commerciis harum Nationum & de Antiquitate Scientiarum, quae inter illas floruere *s)*.

Illi

r) In his sedulo distinguenda sunt Aegyptia antiqua, ab iis quae Graeca sunt & Historica. Conferatur *Sphère Historique ou Explication des Signes du Zodiaque* Paris 1716.

s) Probabile videtur Chaldaeorum antiquam sphaeram cum vetustissima Persica, hanc cum

Illi vero, qui Zodiaci Aegyptii & Græci diſſimilitudinem tuentur, cauſam ſuam porro ſequentibus explicant verbis *t)*: *Quod ſpecialius ad Zodiaci attinet ſigna, nomina, quæ Græci illis impoſuerunt, nullam habent affinitatem cum iis, quibus Arabes & ceteri Orientis populi ea inſignivere, qui dubio procul veteris Sphæræ Aegyptiorum veſtigia optime ſervarunt.*

cum antiquiore Arabica conveniſſe, omnes ab Aegyptiaca diverſas fuiſſe. Ex veteri autem illa Chaldæorum ſphæra explicandæ conſtellationes, quarum nomina in V. T. codice occurrunt. Conferri poteſt *A Letter to Martin Folkes concerning the riſe and progreſs of Aſtronomy amongſt the Antients. London* 1746. Et *Further Account - in three Letters, Oxford* 1748. Harum Epiſtolarum prima de Aſtronomia Chaldæorum, ſecunda de Jobi ſideribus, tertia de Mythologica agit Aſtronomia.

t) Clar. *de la Nauze* loc. cit.

Hæc refelli possunt, non enim video, cur Arabes & ceteræ Orientis Gentes melius quam Græci Zodiacum servare debuissent. De Græcis enim constat eos sua omnia huic Genti debere, de Arabibus certum eos scientias suas non ab Aegyptiis accepisse, a quibus Religione, superstitione, lingua, moribus penitus differunt. Arabes autem & fere omnes Orientis populi, Sinensibus exceptis, recentioribus demum temporibus a Græcis Astronomiam & Sphæram suam assumserunt, quod testantur Olug Begii Tabulæ ab Erud. Hyde vulgatæ. Si vero scrutari Arabes veteres, & ea, quæ de antiquissima sua Sphæra memoriæ prodiderunt, eruere coner, reperio eos quasdam Constellationes olim aliter, quam Græci faciunt, vocasse, quæ, ut videtur, non ab Aegyptiis, sed a Pecuaria, qua utebantur vita,

tra-

traducta sunt *u)*. Post Mohamedem Arabes optime potuerunt perfectius illud Græcæ Astronomiæ Systema sequi, antea id non fecissent, quia vetus eorum Religio & superstitio in antiqua eorum sphæra fundamentum suum habuit.

RESTAT, ut de monumentis quibusdam Aegyptiis agam, ex quibus nonnulli differentiam Zodiaci Aegyptii & Græci probare annituntur. KIRCHERUS *x)* itaque, & MONTFAUCONIUS

u) Hyde l. c. p. 4. Golius in Alfreganum. p. 63. Qui de vetusto Arabum Zodiaco, nova, Hydio & Golio incognita, comperire cogitat, is non Arabum Astronomos, sed potius manuscriptos interpretes antiquorum hujus gentis Poëtarum adeat, qui fere nihil de stellis errantibus, sed multa de iis, quæ cœlo infixæ sunt, memoriæ prodidere.

x) Oedip. Aegypt. T. 2. 161.

CONIUS *y)* edidere Aegyptiacarum Antiquitatum reliquias, quas Zodiacum repræſentare putaverunt, & quæ fere nullam cum ſignifero noſtro Circulo affinitatem habent. Sed KIRCHERI & MONTFAUCONII opiniones ſe mutuo tollunt, dum figuræ, quas uterque tanquam Zodiaci Aegyptii ſigna protulit, multum a ſe invicem differunt. MONTFAUCONII autem Monumentum, quod ille Calendarium Aegyptiacum vocat, noſtris temporibus iterum editum fuit ab Illuſtriſſ. Comite DECAYLUS *z)* ſummo Aegyptiacarum Litterarum promotore, qui optime doctiſſimeque declaravit Zodiacum in eo non exhiberi; & illud argumentum, quod a duodecim figuris, quæ in eo occurrunt, deſumtum eſt, nihil unquam probabit, cum hoc monumentum

y) *Antiq. Expliq. Suplément.* 2. pl. 54.

z) *Récueil d'Antiquités.* Pl. XXI - XXVI. T. 1.

tum, non ut integrum, ſed tanquam fragmentum, conſiderandum veniat. Ipſe quoque hoc monumentum, ſeu faſciam iſtam Aegyptiacam, in S. Genovevæ Muſeo conſpexi, unde mihi concludere licuit Ill. Comitis DECAYLUS editionem exemplar ſuum probe accurateque referre; in eo vero præcipue ſingularis videbatur, quod ſtatim infra quamlibet figuram, in columnis ſpaciisque ſeparatis repræſentatam, litteris vetuſtis Aegyptiis Epiſtolographicis *a)* nomina quædam rubro colore tincta occurrerent, cum cetera atro colore perſcripta eſſent; ex quo mihi profecto perſpicuum eſt, has figuras, etſi ipſa Zodiaci ſigna von repræſentent, aliquo tamen modo ad Calendaria pertinere, & forte Decanos Aegyptiorum nobis ſiſtere. Decani Aegyptiorum,

 Præ-

a) Quæ in communi vitæ uſu receptæ ex Litterarum Elementis conſtabant.

Præſides ſigniferi circuli, ut id in tranſitu dicam, numero ſunt 36, tres enim eorum unicuique Zodiaci Signo præponi ſolent, quorum Nomina Aegyptiaca corrupte exhibet SCALIGER in Manilium, accuratius SALMASIUS de Annis Climacteris, & in Commentariis in Solinum. Doctrina vero, quam Aegyptii de his Decanis fovebant, obſcuriſſima eſt, &, ſi penitus cognoſceretur, Zodiacum hujus Gentis forte egregie illuſtraret. Cui vero Decanos ex antiquitate eruere in animo eſt, is, præter Linguæ Copticæ ſubſidium, adhibebit monumentum ſingulare, ad Zodiacum maxime faciens, & omnibus, qui hac de re egerunt, neglectum; occurrit illud in Hiſtoria Academiæ Reg. Scient. Pariſ. An. 1708, cum qua communicatum fuit a Cl. BIANCHINO b),

Ro-

b) Veroſimile mihi videtur fragmentum hujus

Romæ itaque A. 1705 iſtud Fragmentum Planiſphærii Aegyptio Romani repertum fuit Tabula conſtans lapidea, cui inſunt circuli plurimi, ut ita dicam concentrici, quorum κέντρον habet Urſas & Draconem; exterior circulus Animalia offert 12, a Zodiaci Signis diverſa. Tertius & quartus orbis Zodiaci exhibet Signa; quintus & ſextus Deos, & præcipue Planetas ſpectandos præbet, ita depictos, ut exterior cir-

B 5 culus

hujus Monumenti ex Peireſcii Schedis editum fuiſſe a Montfauconio *Antiq. 1. 124. Supl. 1. après la Pl. XVII.* Decani Aegyptiorum etiam ex Abraxearum Gemmarum ſtudio illuſtrari queunt, ibi enim Chnubis & alia hujusmodi inferiora Numina haud raro occurrunt. Sedulo quoque evolvendi inediti Græci Aſtrologi, qui ſub mole rerum abſurdarum quædam de Decanis ſcitu digna ſepeliverunt. Horum vero magna Pariſiis ſupereſt copia ex Biblioth. Huetii, & in Collegio Claromontano.

culus Mercurium ea forma repræſentet, qua apud Græcos & Romanos inſigniebatur, interior vero ſic illum ob oculos ponat, ut Aegyptiorum Anubin in eo deprehendamus. Sic porro in exteriore orbe Apollo occurrit Romanorum more radiatus, in interiore autem circulo ejus loco ponitur homo accipitris capite ornatus, quæ Solis imago fuit apud Aegyptios. Semper autem tres horum Deorum unum Zodiaci ſignum, in interioribus circulis contentum, includere ſolent, unde perſpicuum eſt heic Decanos Aegyptiorum exhiberi, eos ex Planetis præcipue deſumtos, & eundem Decanum ſæpius pluribus diverſis Zodiaci ſignis præeſſe. Sed nimis mutilum eſt iſtud fragmentum, quam ut omnia, quæ ad Decanos Aegyptiorum pertinent, inde cum certitudine cognoſcere queamus. Unicuique vero Decano in Monumento Romæ

mæ eruto Græco Latinis Litteris, nomina quædam ſubſcribuntur, quæ fere omnia ſibi invicem ſimilia eſſe videntur, ubi alicujus momenti eſt obſervare, in Faſcia quoque Pariſienſi ſubſcriptiones ad Decanos Aegyptios fere omnes ex iiſdem Aegyptiorum Litteris conſtare, unde forte olim felix aliquod ingenium ex horum duorum Monumentorum ſedula collatione in Epiſtolographicæ Aegyptiæ Scripturæ genuinam Lectionem incidere poterit. Equidem illud etiam animadverto SCALIGERUM non modo nomina ſed figuras quoque Decanorum Zodiaci evulgaſſe, quas, qui de Decanis agere volunt, ſedulo debent inſpicere. Hæ vero figuræ ab iis, quæ in Monumento Romano occurrunt, valde differunt; unde forte quis cogitare poſſet in iſto monumento occurrere Zodiaci relationem ad ſolennia quædam Aegyptiorum Deorum Feſta,

ſta, quo plurima ejus gentis ſigna referenda ſunt c). Sed jam ad propoſitum revertamur.

Vidimus itaque præcipua argumenta, quæ adverſarii ſententiæ noſtræ adferunt ad probandam Zodiaci Aegyptii Græcique differentiam; Omittimus multa, ineptum enim foret de tam perſpicua re pluribus verbis diſputare, inprimis cum nemo Veterum de differentia Signorum Zodiaci Græci & Aegyptii ſermonem inſtituat, imo omnes conſentiant ea in utroque eadem fuiſſe. Macrobius, qui Zodiaci repertores Aegyptios facit, de Græci Zo-

c) Utinam heic conferre liceret Monumentum ad Zodiacum ſpectans, quod in Ruinis Panopoleos (*Acmin*) ſupereſt; obiter illud deſcripſit Pocockius I. 77. Nos vero ab iis qui Aegyptum adeunt avide ejus delineationem efflagitamus.

Zodiaci ſignis loquitur, MANETHO Aegyptius, qui Ptolemæi Philadelphi temporibus vixit, & principiis Petoſiſiris & Necepſo imbutus fuit, Zodiaci Græci ſigna ſequitur. Sic LUCIANUS vel quicunque demum ſit Auctor libri de Aſtrologia, qui ſub ejus nomine circumfertur, aſſerit Arietem, Taurum, Capricornum, Piſces, quæ Græci Zodiaci ſigna ſunt, in illo Aegyptiorum deprehendi *d)*. Imo ulterius adhuc progreditur, dum putat animalium cultum apud Aegyptios inde originem trahere, quod illa in Circulo ſignifero conſecrata fuerint *e)*. Quam ulti-

d) Editio Reitzii T. 2. 363.

e) Animalium cultum originèm habere a Zodiaco, ſentit etiam Erud. mihique amiciſſimus Abbas *de Mehegan*, qui de orbe ſignifero multa ingenioſe diſputat in libro, cui titulum præfixit *Origine*, *Progrès*, *&* *Decadence de l'Idolatrie* Paris 1758. Sententia iſta de

ultimam conclusionem, ab Eruditiss. WARBURTHONO confutatam *f)* nos non tangimus, nunc enim illud satis est, LUCIANUM cum tota Antiquitate Zodiaci Græci & Aegyptii similitudinem agnoscere.

SI dubia & captiosa argumentatione in re certa uti vellem, confugere possem ad nummos Hadriani & præcipue Antonini temporibus in Aegypto percussos, ubi signa Zodiaci nostri separatim posita occurrunt, addita stella, & sæpius imposito stellæ capite, tanquam sideris hujus Numine Tutelari *g)*. Rari sunt isti nummi, & tria tan-

de Zoolatria, ex Zodiaci signis deducenda, sub examen vocatur in libro, cui Titulus: *Du culte des Dieux Fetiches* 253.

f) *The divin Legation of Moses* L. IV. Sect. 4.

g) Cel. Morellius in Specim. R. Num. antiquæ

tantum aut quaturor Zodiaci ſigna inde vulgata ſunt; cui vero illos accurate cognoſcere lubet, is adeat ineditos vetuſtatis theſauros, Regium Gallicum, Muſea Cel. Pellerini, & Collegiorum Societ. Jeſu Pariſienſium, in quibus omnia Zodiaci ſigna deprehendi. De his vero latius agere nolo, quia hæc monumenta, etſi Aegyptia, recentiora tamen ſunt, quam ut rite, rem de qua quæritur, confirmare queant.

Ejusdem ponderis, valde nempe conjecturale, eſt illud argumentum, quod a vetuſtioribus illis notis deſumitur, quibus Zodiaci ſigna Aſtronomis indigitantur, & quæ videntur eſſe ſpecies Hieroglyphicarum Aegyptiarum formarum; integræ enim effigies, in his

tiquæ p. 123. Hi nummi fere omnes annum VII. Anton. P. exhibent. Conf. Muſ. Theupol. T. 2.

his notis contractæ, priscæ imaginis vestigia servant *h)*.

Sed jam sentio me esse longius provectum quam proposita ratio postularet, verum huc traxit adversariorum numerus, qui, cum clari sane in litteris sint, in hac parte, qua a sententia mea discedunt, nominandi fuerunt. Venio nunc ad specialia, ut, per singula Zodiaci signa eundo, declarem, unde quodlibet eorum nomen suum acceperit, & cui Deo apud Aegyptios tributum fuerit. Dubium nemini est Aegyptios Deorum suorum imperium thronosque in Planetarum orbibus & signifero Circulo collocasse, quod toti Astrologiæ Aegyptiæ originem dedit; Divinatio enim ex astris non alio nititur fundamento, quam illo, Stellas esse

h) **Præ ceteris heic conferri meretur Eruditiss. Zanettius in Urna Contarena.**

esse Numina, unde multa manant & fluunt, quibus Animantes reguntur: Et hæc vetustissimæ Idololatriæ occasionem dedisse videntur, antiquissimis enim temporibus non exstabuit quidem opinio de uno summo Deo, sed falsos sibi homines fingebant conceptus de ejus Providentia; putabant eum Ministros suos in Planetis & Zodiaco collocasse; qui, dum inde orbem nostrum gubernare censerentur, paulatim eum cultum meruere, qui summo tantum numini debetur.

Ab Arietis itaque incipiam signo, quod sententiæ meæ non controversum exhibet argumentum. Arietem enim in Zodiaco Aegyptiorum locum habuisse testis est Lucianus. Hunc vero Hyginus i), Scholiastes

i) Hygini Poeticon. Astronom. pag. 467. cap. 20. Edit. 5. Staveren.

STES GERMANICI *k)* aliique plures asserunt, Jovi Ammoni apud Aegyptios sacrum fuisse, quod etiam legimus apud ABENEPHIUM & AVENAAR Judæorum Arabumque Astronomos, KIRCHERO *l)* citatos. Ammon in Aegypto præses habebatur Aequinoctii verni, quod in Signo Arietis collocatum fuit. Hinc explicantur omnes illæ fabulæ, quæ apud Aegyptios Græcos & Arabes de Ariete seu Jove Ammone narrabantur *m)*. EUSEBIUS, de Aegyptio Jovis Ammonis signo loquens,

k) Scholia ad Germanici Aratea Phœnomena pag. 120. Edit. Morellii.

l) Silentio præterire nolo Avenaar mihi ignotum esse, & Abenephium Kirchero citatum mihi valde suspectum videri, Oedipus Aegypt. 2. 2. 178. 201.

m) Unus instar omnium consulendus maximus Aegyptiorum studiorum defensor Jablonskius Panth. Aegypt. 157-184.

quens, hæc habet *n)*: *Caput quidem Arietis*, quo hæc effigies ornata fuit, *ſolemnem congreſſionem Solis & Lunæ in Signo Arietis repræſentat.* Et PROCLUS in Timæum *o) Arietem Aegyptii ſingularem in modum coluerunt, eo quod ſimulacro Ammonis apud ipſos caput arietinum imponatur. Accedit, quod Aries, primum quippe Zodiaci ſignum, principium ſit genituræ, & quod motus ejus eſt velociſſimus, quia in illo ſigno Sol Aequinoctium facit.* Hæc & alia quæ lubens omitto, opinionem meam de Ariete in Zodiaco Aegyptiorum conſpicuo & Jovi Ammoni dicato ita confirmant, ut ea in controverſiam adduci nequeat.

HUC etiam faciunt figuræ quædam Iſiacæ Tabulæ, quæ ipſa ut Ca-

 len-

n) Præp. Evang. 3. 12.

o) Lib. I. pag. 30. & Hyginus Fab. 133. pag. 237.

lendarii Aegyptii fpecies confideranda eft. In primo autem ejus fegmento apparet aries, cui Cynocephalus fedens fuppofitus eft; Jam vero HORAPOLLO fentit *Aegyptios Aequinoctia fignificantes Cynocephalum fedentem pingere, quia duobus anni Aequinoctiis duodecies in die per fingulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit p*). Erraffe autem videntur PIGNORIUS *q*) & Abbas BANJER qui inconfiderate Arietem Tabulæ Ifiacæ pro Hirco venditarunt, cum KIRCHERUS

p) Hierogl. I. 16.

q) Menfæ Ifiacæ expofitio. Fig. F. 21. In eadem Bembina Tabula, Monumento probe Aegyptio, Aries occurrit biceps, ut Anubis Aegyptiorum & Janus Tufcorum, qui annum refpicit elapfum & elapfurum. Sic Aries tanquam primum Zodiaci fignum refpicit Zodiacum, quem fol jam permeatus eft, & altera illum quem de novo eft tranfiturus.

RUS & JABLONSKIUS longe melius hanc figuram pro Ariete acceperint; ſic certe eſt in nupera & optima Tabulæ Iſiacæ Editione, quam Illuſtr. Comes DE CAYLUS vulgavit, ut & in vetuſta & perelleganti ejus ichnographia, quæ per Jacobum FRANCUM Venetum prodiit. Veriſimile tandem eſt Paſcha in Aequinoctio verno in contumeliam Idololatriæ inſtitutum fuiſſe, ut eadem anni tempeſtate, qua Aegyptii Ammonem maxime coluerunt, Aries huic Numini ſacer a Judæis cæderetur r). Hanc ſententiam amplectitur Auctor Chronici Orientalis, quod ab Editore Echellenſe vocamus s); in eadem opinione

 eſt

r) Quædam rituales Leges Idololatriæ fuerunt oppoſitæ; non excludendi tamen ſunt alii fines, quinimo conjungendi, ut ſumma inde Legislatoris ſapientia eluceat.

s) Pag. 7.

eſt etiam R. Bechai *t*) & R. Abrah. Seba, qui cauſam ſuam his explicat verbis *u*): *Incipiebant autem illi*, Aegyptii, *numerare menſes ſuos ab eo tempore, quo Sol ingrediebatur in initium Signi Arietis, atque is menſis totus feſta ſolennitate celebratur, & illi magnum honorem exhibebant in cultu ſuo, præ omnibus reliquis menſibus. Deo itaque viſum eſt mundare Iſraëlitas, eosque longe removere a ſtatutis Gentium; illi etiam parcunt pecudibus ſuis, & ideo non comedunt carnem arietis, vos autem ſumite illum ad mactandum eum, & aſſate eum, & comedite carnem ejus & reliqum comburite &c.* Heic quoque laudandus videtur Tacitus *x*), qui ait: *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia,*

t) In Exod. XII, 18.

u) Comment. in Leg. pag. 70.

x) Hiſtor. 5. 4.

omnia, quæ apud nos ſacra, rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta; Effigies animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere, cæſo Ariete velut in contumeliam Hammonis.

Supracitati Aegypti nummi Ammonis caput Signo Arietis adjectum repræſentant *y*): Prolixus certe fui in Arietis ſigno ex mente mea explicando, ſed conducebat ab initio declarare Veterum teſtificationem & rationum copiam mihi non deeſſe; in ceteris itaque compendioſiore utar via, æquos enim judices jam in ſententiam meam diſceſſiſſe arbitror.

Manilius *z*) aliique Romanorum Scriptores quælibet ſigna Zodiaci

C 4 uni

y) Pedruſi Nummiſmata 331. n. I. Vol. VI. Nummus Hadriani.

z) Lib. 2. 434. ſq. Commentatores ad En-

uni ex Diis ſuis tribuerunt; ſed non diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt, illorum conſecrationem in multis Romanorum potius ingenia, quam Aegyptiam prodere originem. Si vero eos ſequamur, TAURUS Veneri ſacratus fuit *a*):

- - - - *Taurum Cytherea tuetur.*

Hæc cum ita ſint, poſſet aliquis pugnare Veneri Aegyptiorum ſacram fuiſſe vaccam *b*), ubi porro contendendum foret, non Taurum ſed Vaccam olim in hoc ſigno fuiſſe collocatam, & addendum Aſtrologos hoc ſidus Θῆλυ Ζώδιον vocare, judicantes ſimul illud homines molles & enervatos reddere *c*):

At

nii Fragm. pag. 165. Vetuſtiſſ. Calendarium Farneſianum.

a) Manilius 2. 439.

b) Aelian. H. Anim. XI. 27. Strabo L. XVII.

c) Manilius 4. 519.

At quos prima creant naſcentis Sidera Tauri,
Feminei incedunt.

Sed his non aſſentior, longe enim alia eſt ratio, quæ Aſtrologos movit, ut hanc ponerent ſententiam. Mihi vero placet unum ex ſacris Tauris; Apin ſcilicet, in hoc ſidere repræſentari, quod jam animadvertit LUCIANUS *d*), qui inquit: *Sane etiam Taurum in honorem cæleſtis Tauri colunt, atque eſt illis Apis res ſanctiſſima, qui Regionem illorum depaſcatur, cui oraculum ibi conſtituerint, Signum Divinationis illius* cœleſtis *Tauri e).*

 IN

d) Aſtrolog. 2. 363. Horapollo 1. 10.

e) An Oracula, quæ Antiquiſſimi Aegyptii petebant a ſacris ſuis Animalibus, & præcipue ab Ariete Thebano, a Tauro Memphitico, a Leone Heliopolitano, inde deducenda ſunt, quod ea in terris ſpectarentur ut imagines Zodiaci? hoc nimium videtur, ſed forſitan divinatio ex Aſtris non tantum quantum vul-

In Geminis Horum video & Harpocratem Aegyptiorum Deos in multis ſibi convenientes, indivulſos fratres, atque intimos familiares. Græci vero & Latini dicunt eſſe Caſtorem & Pollucem *f*), fratres, qui verſis vicibus inter Mortales verſantur; uti Horus & Harpocrates, qui tanquam Sol die & nocte & in utroque ſolſtitio, alternis vicibus ſeſe ſpectandos præbent *g*).

Heic exponam aliud argumentum eorum, qui Zodiaci Aegyptii & Græci differentiam defendunt; illi nobis offerunt Herodoti locum, qui ſic habet

go exiſtimatur, ab ea diſcrepat, quam ſanctæ præbebant beſtiæ.

f) Avienus pag. 42. Scholiaſtes Germanici 112. Edit. Morellii.

g) Ovum, ex quo nati Tyndaridæ, aliaque plurima, originem produnt Aegyptiacam.

bet *h*): ὔτε Διοσκέρων τὰ ὀνώματα φασὶ εἰδέναι, ὀδὲ σφι Θεοὶ ἔτοι ἐν τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι ἀποδεδέχαται· Sed ex his nihil contra nos efficitur; non enim heic Caftor & Pollux citantur ut Gemini in orbe fignifero; Aegyptii porro non cognoverunt Tyndaridarum Græca nomina, quia hi Dii apud illos Horus & Harpocrates falutabantur. An Bacchum ignorabant Aegyptii, quia illum Ofirin vocabant? an Mercurium, quem Anubin appellabant? an cetera Græcorum Numina, quæ mutatis nominibus ab illis ad hanc Gentem tranfiere *i*).

Id

h) Lib. 2. pag. 119. Edit. gr. lat. H. Steph. 1594.

i) Apud Illuftr. Com. *De Cailus* T. 1. pl. 7. Horus & Harpocrates juncti occurrunt, ut fratres indivulfi; forte huc etiam pertinet monumentum T. 4. Pl. 23. num. 2. Ratio, ob quam Aegyptii hoc fignum potius quam aliud Geminis dicaverunt forfitan inde deducenda,

Id quoque dicendum reſtat, Kircherum, qui aliqua ex parte conjecturam noſtram de Zodiaco cognovit, id, quod ab initio de Geminis poſuimus, Veterum teſtificatione extra omne dubium collocaſſe; Sed nullam fere hic Auctor meretur fidem, dum, ſive oſtentationis cauſa, quo plura & difficiliora ſcire videretur, ſive, quod ſimilius veri eſt, ex nimia oſcitantia antiquos ſæpe perperam & inconſiderate citavit. Laudat is Plutarchum dicentem, Geminorum ſignum apud Aegyptios Helitomeno & Harpocrati ſacratum fuiſſe; *Aiunt enim Aegyptii*, inquit Kircherus k), *Iſidem ab obitu cum Oſiride concubuiſſe,*

quod duæ præcipuæ Geminorum Stellæ ejusdem fere magnitudinis ſibi invicem parallelæ vicinæque ſint. Præter hoc ſignum etiam illud Scorpionis, cum figura ſub qua repræſentatur, aliquam affinitatem habet.

k) Oedip. Aegypt. 2. 154.

cubuiſſe, ex eoque Gemellos ſuſcepiſſe Helitomenon & Harpocratem, eosque poſtea in cœlum translatos huic manſioni prælatos fuiſſe. Expoſui non PLUTARCHI judicium ſed KIRCHERI ſomnium; ſic enim ait PLUTARCHUS *l*). Τὴν δὲ Ἶσιν μετὰ τὴν τελευτὴν ἐξ Ὀσίριδος συγγενομένȣ, τεκεῖν ἠλιτόμενον καὶ ἀσθενῆ τοῖς κάτωθεν γυίοις τὸν Ἁρποκράτην. *Iſin, ex Oſiride, qui a morte cum ipſa coiviſſet, filium peperiſſe Harpocratem, fœtum abortivum, puſionem inferioribus debilem membris.* Ex quo perſpicuum eſt, Helitomenum a KIRCHERO nobis obtrudi, quod neſciret hac voce notari infantem per abortionem natum, quod Aegyptii de Harpocrate perhibere ſolebant.

CANCRI ſidus apud Romanos Mercurio conſecratum fuit *m*).

l) De Iſide pag. 358.

m) Manilius 2. 439.

- - - - *Cyllenie Cancrum.*

Hinc in vetuſtis Romanorum Monumentis Cancri inter hujus Dei inſignia occurrunt *n*). Sic etiam in Aegypto Cancer Anubidi, ſeu Mercurio ſacer fuit *o*), is autem erat ſtella Canis; qua de re hæc habet Porphyrius *p*), *Aegyptiis initium anni non eſt Aquarius, ut Romanis; ſed Cancer, prope Cancrum autem eſt Stella Caniculæ.*

Leonis ſidus Soli ſeu Oſiridi tributum fuit, tum enim hujus Aſtri ſumma

n) *Du Choul Religion des Romains* 155. Montfaucon *Ant. Expl.* 1, 83. n. 7.

o) Huc faciunt Abraxeæ Gemmæ, in quibus Aſtaci marini & fluviales Anubin Aegyptium comitantur. Kircheri Oedip. T. 2. P. 2. 467. Ebermayer T. 17. n. 434. Macarii Gemmæ T. 12. 48. Montfaucon 2. 154. Auctarium Tab. Bemb. Tab. I. n. 5.

p) De Antro Nymph. 264. Edit. Cantabrig.

ma vis deprehenditur, negare tamen nolo Horo quoque aliquo modo illud adſignari potuiſſe, dum ipſe quoque ad ſolem referendus eſt.

HORAPOLLO affirmat apud Aegyptios Leonem illud ſignificare tempus, quo, Sole iſtud ſignum tranſeunte, amplior eſt Nili exundatio *q*), hinc juxta antiquos Tubi, quibus Nili canales claudebantur, Leonum capitibus ornati fuerunt *r*); quales & hodie inter monumenta Aegyptia exſtant *s*). Hinc ſæpe videmus Leones, & effigies hominum leonis capite inſignitas, aquam Nili in vaſis portantes. Neque vero quidquam magis confirmat meam ſententiam

q) Lib. 1. 21. Scholia in Arati Phœn. 22. Ed. Oxon.

r) Plutarchus Sympoſ. IV. Q. 5. 670.

s) *Recueil d'Antiq. de M. le Comte de Caylus.* 1. pl. 17.

tentiam, quam omnia illa Aegyptia monumenta, quæ hominem e ſomno ſuſcitatum repræſentant, menſæ incumbentem, quæ capite, cauda, pedibusque Leonis exornatur, adſtantibus mulieribus geſtuoſis, quæ motibus ſuis lætitiam, qua fruuntur, teſtatam faciunt; & additis Canopis plurimis. Quid enim indigitatur per Leonis inſignia, quam illa tempeſtas, qua Sol hoc ſidus percurrit? Quis eſt ille ex ſomno excitatus, niſi Nilus Aegyptum iterum oppletam tenens? An diverſa ab Iſide, femina, Nili reditum læta excipiens? quæ tandem aliæ, quam hujus fluvii aquæ, Canopis continentur? Talia Monumenta occurrunt apud omnes Aegyptiacorum Signorum Editores *t*), & ho-

t) Montfaucon *Suplem.* 2. 37. Antiq. Midleton. Tab. 23. Limbus Tab. Iſiacæ &c. Plures Eruditi exiſtimant hæc monumenta repræſentare ritus Aegyptiorum circa defunctos.

& horum ſimile conſpexi in antiquiſſimis picturis, quibus ornatur Mumiæ Aegyptiacæ theca, quæ in Muſeo S. Genovevæ adſervatur.

Superius citati Aegypti nummi Leonis ſignum exhibent addita ſtella & capite radiato, quo Sol indigitatur *u)*.

Virgo Iſidi ſacra eſt, ut Leo Oſiridi ejus marito. Avienus *x)* dum varias Veterum opiniones de iſto Signo recenſet, hanc quoque, quæ optima eſt, non omittit:

Aut Peluſiaci magis es Dea Littoris Iſis
Digna Poli conſors & cura latrantis Anubis.

D Aſtro-

u) Hunc nummum Antonini Pii vidi in Muſeo Chamillardi, quod in magno Collegio Societ. Jeſu Pariſ. exſtat.

Eundum nummum deprehendimus in Muſei Theupoli. Tomo 2. pag. 1140.

x) Pag. 39. Edit. Morellii.

Aſtronomi autem Judæorum KIRCHERO *y)* citati aſſerunt in hoc Signo collocari Mulierem parvulo quodam filio mammam præbentem, quod multi ridicule ad Servatorem generis noſtri transferunt; nam, ſi vera ſunt, quæ iſti tradunt, heic occurrit Iſis Horo ſuo admovens ubera, quod frequentius in monumentis Aegyptiis conſpicimus. Potuit etiam hæc imago originem ducere a vetuſta Virginis effigie, quam inter Signa Zodiaci in Gemma Dactyliothecæ Regiæ Gallicæ, & in alia apud Principem Aurelianenſem, deprehendi, ubi Virgo Unicornu in ſinum ſuum devolutum habet, quæ res, ut me docuit Eruditiſſ. Abbas BELLEI, inde explicanda, quod veteres Græci & Arabes fingerent,

y) Oedip. Aegypt. 2. 203. Kircherus heic citat Avenaar & Albumaſarem. Prior mihi ignotus; poſterior ſeculo decimo ſcripſiſſe putatur.

gerent, Unicornu in ſinum virginum ſeſe projicere, ibique omni ferocitate depoſita ſoporatum caput ponere *z)*.

Sed ut ad propoſitum revertar, de Sphinge agam, quod in illa fundamentum totius opinionis meæ præclare jactum videtur. Sphinx enim compoſita eſt ex Leone & Virgine, hinc Aegyptiis Exundationem notabat Nili, quæ, Sole hæc ſigna tranſeunte, abundantiſſima eſt; cum vero Sphingis effigies ſint perantiquæ, antiquum quoque apud Aegyptios oportet eſſe illum Zodiacum, in quo Leonis & Virginis occurrunt ſidera. De Leone jam dixi ſupra, nunc vero & hoc arbitror adjiciendum, in Iſiaca Tabula *a)*, mummiſque vetuſtis *b)* femi-

z) Damir Arabs, Euſtathius, aliique a Bocharto citati. Hierozoic. l. 3. 26.

a) Fig. VV.

b) Nummus Gentis Cœciliæ Morellio vul-

feminam occurrere Leonis insignitam capite, quæ figuræ, a nemine hactenus rite explicatæ, Sphingum videntur species, ex quibus nobilissimi Aegypti fluvii incrementa intelliguntur *c*).

D I L U A M U S nunc objecta Cel. W A C H T E R I, quæ alicujus momenti sunt; is vero in eruditissimo opere de Scri-

gatus, Thes. Morell. pag. 52. conf. Cl. Spanhemius de Usu & Præst. Numism. T. 1, 241. Sedulo autem hæ figuræ, quantum id per monumenta licet, ab iis distinguendæ, quæ felium, ceborum, aliarumque simiarum capitibus, insignitæ sunt.

c) Uti Sphinx, sic & Gryphus, Niloticam significabat exundationem. Ejus originem Aegyptiam demonstrat Bembina Tabula, ubi frequenter occurrit, ut & ingenium istius Gentis ad tales allegorias proclive. Ejus relationem ad Nili exundationem & alæ aquilæ, quæ apud Aegyptios magnum ad hoc flumen respectum habuit, & corpus Leonis, & ipsa Canopi Vasa Gryphis sæpe addita, lucu-

Scripturæ & Naturæ Concordia *d*) hac arrepta occaſione ſequentia nobis oppoſuit: *Quamvis autem Sphinx compoſitione ſua ſatis prodat, Zodiacum cum ſuis Animalibus, Aegyptiis ab antiquo notum fuiſſe, quod etiam ex Apoteleſmaticis Manethonis a Jac. Gronovio publicatis, cognoſcitur; ipſe tamen Zodiacus Telluri Niloticæ, quæ ſub ſigno virginis inundationem patitur, nequaquam convenit, quia Virgo cæleſtis a prima Zodiaci inſtitutione, non fuit ſignum inundationis, ſed meſſis ob ſpicam, quam manu tenet. Quid inde ſequatur nemini obſcurum eſſe poteſt, ſcil. Zodiacum cum ſuis animalibus non in Aegypto, ſed alio ſub cælo inventum eſſe,*

lenter declarare confirmareque videntur; ut omittam Sphingum ænigmata, & perplexos antiquorum Gryphos, jocoſoſque Logogryphos haud obſcuram habere affinitatem.

d) Pag. 34.

& falli Macrobium, dum inventum Zodiaci Aegyptiis transcribit.

VIRGINEM in veteri Aegyptiorum Zodiaco spicas tenuisse nemo unquam probabit, his enim illa ornata fuit a recentioribus, quibus Isidem, cum Cerere, cui multis convenit, comparare placuit *e*):

Spiciferæ est Virgo Cereris.

Sed demus & hoc; an Spica Virgini non potuit tribui ut argumentum fertilitatis Aegypti, quæ omnis a Nilotica exundatione pendet?

LIBRA non conspiciebatur in Veterum orbe signifero; Nepa in duas divisa partes chelis suis istud effecit signum; postea demum Libræ additæ ut Aequinoctia innuerentur. Sæpe SCORPIUS in Monumentis conspicitur Mithriacis, quæ multis modis ad Zo-

e) Manilius 2. 442.

Zodiacum pertinent, & plurima ejus ſigna repræſentant. Sæpe ille inter Hieroglyphicas occurrit notas. Apud Romanos Marti ſacer fuit *f)*:

Pugnax Mavorti Scorpius hæret.

MARTEM quoque in Monumentis comitatur *g*); Nullus vero eſt Aegyptiorum Deus, quem cum Marte componere quæamus, præter Typhonem; cui terribiles Aegypti Scorpii ut omnia Animalia noxia & venenata, tribuendi erant; imo teſtis eſt PLUTARCHUS *h*) Aegyptios Typhonis imperium in Nepæ ſidere collocaſſe.

 Cel.

f) Manilius 2. 443.

g) Mars cum Scorpio adjecta ſtella in Achate apud Clar. Paſſerium de Gemmis Aſtriferis Tab. 138.

h) De Iſide pag. 356. Supracitati Anton. Pii nummi Scorpii ſignum exhibent addita ſtella, & ſuperius adjecto galeati Martis capite. Muſei Theupoli Tomo 2. p. 1141. Oriente Scorpio Orion occidit, unde ea quæ diver-

Cel. POCOCKIUS fragmenta Obelisci Aegyptii; quæ Romæ ſuperſunt, evulgavit *i*), in quibus inter varias vetuſtas formas Hieroglyphicas etiam SAGITTARIUS occurrit, illi, quem in Zodiaco conſpicimus, per omnia ſimilis, & qui Herculi Aegyptiorum nuncupatus fuit in memoriam belli, quod ille ſtrenue Gigantibus fecit *k*). *Sacratiſſima*, ait MACROBIUS, *& auguſtiſſima Aegyptii Herculem Religione venerantur, ultraque memoriam, quæ apud illos retro longiſſima eſt, ut carentem initio colunt. Ipſe creditur & Gigantes interemiſſe, cum pro cœlo pugnaret, quaſi virtus*

ſimode de hoſtili odio Scorpii & Orionis traduntur, deducenda eſſe videntur.

i) Pococke *Deſcript. of the Eaſt.* T. 3. 207. Varia Zodiaci Signa ex Aegyptiorum Monumentis publicavit Bianchini *La Iſtoria Univ.* pag. 111.

k) Alio reſpectu Herculis labores ad So-

virtus Deorum l). Vetuſtiſſima & ab Aegyptiis profecta eſt conſuetudo Hominum Animaliumque invicem jungendi corpora; hinc Sagittario Bellatoris Equi partes adjectæ fuerunt *m*).

Capricornus Pani, ſeu Mendeti Aegyptiorum, ſacer eſt; cujus inſigne fuit Hircus. *Aegyptii Panem*, ait Nonnus *n*), *Mendetem vocant, quoniam lingua ipſorum Mendes Hircum ſonat. Pan vero hic hircinam habet faciem; & tanta Religione Mendetem hunc, ſive Pana colunt, ut etiam a Capris omnino abſtineant, quod nempe Deus ipſorum formam caprinam habeat.* In honorem

D 5 hu-

lem, Zodiacum percurrentem, referri queunt.

l) Saturn. I. cap. 20.

m) Sic Horus, alter Typhonis Victor, equo uſus eſt in bello contra Typhonem. Plutarch. de Iſ. 358. Hercules etiam in Ingeniculo repræſentatus videtur.

n) In Collectione Hiſtoriarum ad Gregorii

hujus Dei in Thmuitano Templo Hircus alebatur, cui inhoneſtus redditus fuit cultus, de quo PINDARUS o) aliique plures. Sed hæ res notæ ſunt atque apud omnes pervulgatæ; propterea illis pro mea conſuetudine non immorabor, confido enim, ea, quæ breviter ſimpliciterque de his dixi, æquis judicibus probata fore.

RESTAT illud, Interpretem Germanici ibique laudatum Nigidium multa de hoc ſigno ſcribere, quæ non modo originem ejus Aegyptiam, verum etiam ſententiam meam de Pane ibi ſacrato maxime confirmant; quorum ego exempla quædam proferam p). *Capricornus ſane ſimilitudinem habet Aegipanos;*

Nazianzeni invect. in Julianum L. 2. Hiſt. 27.

o) Apud Strabonem XVII. pag. 551. Bochart Hieroz. 1. Lib. 2. cap. 43.

p) Edit. Morellii 125.

panos; habet enim posteriorem partem Piscis, priorem Capricorni. —— Epimenides dicit in Ida utrosque nutritos, & ad Titanum bellum cum Jove esse profectum, quem Jupiter Victor astris intulit, quod ejus opera dii armati essent. Ac mea quidem sententia ex his apparet, Scorpium, Typhonis signum, excipere Herculem & Panem, qui hunc Gigantem devicerant. Nisi, in tanto, Veterum dissensu de obscurissimis istis rebus conjecturis indulgentes potius dicere velimus, signum Capricorni, æque ac illud Scorpii, in festo Numini fuisse tributum, ipsumque Panem ad Typhonis, & ad Malorum Deorum turbam, ab antiquissimis Aegyptiis relatum esse. Huc aliquo modo pertinere videntur terrores a Pane immissi; huc Deus iste horrida, tenebricosa, deserta inhabitans loca, quæ ubique malorum Geniorum sedes censebantur. Hinc forsitan expli-

cari

cari poſſet Symbolum Capricorni, more Aegyptio ex duobus Animalibus compoſitum, & præter corpus hirci, apud pleraſque Nationes infeſto Numini dicati, etiam Piſcis, Typhoni & ejus ſociis ſacrati, partes habens. Huc tandem referenda videtur hircina Panis libido; Aegyptii enim, duorum principiorum idea imbuti, Typhoni, & ejus aſſeclis, non modo omnia mala in mundo corporum, ſed etiam omnes inordinatos animorum tribuere ſolebant motus affectusque.

AQUARIUM in PLUTARCHI quodam loco me deprehendiſſe puto, is enim hæc habet: *Die vero* XI. *menſis Tybi* (VI. Januarii) *ad Mare deſcenditur & ſacram ciſtam Stoliſtæ, una cum Sacerdotibus efferunt, in qua eſt intus aurea arcula, cui infunditur ab aliis aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his, qui adſunt, vociferantibus Oſiridem eſſe inventum*

tum q). Sequor heic emendationes Eruditiſſimi JABLONSKII *r)*; qui ſolide probavit hoc Feſtum Januario menſe actum fuiſſe, vel VI. Januarii, vel XIV, quod Signo Aquarii propius convenit; idem etiam efficitur ex verbis EPIPHANII *s)*, qui ait: *Quæ Cauſa eſt, cur Die* XI. *Tybi omnes in Aegypto aquam hauriant, eamque ibidem uti præterea multis aliis in locis reſervent.* Hinc, ſi ejusdem JABLONSKII conjectationem ſequamur, in Kalendario Romano VIII. Idus Januarii, i. e. VI. ejus menſis die, occurrit Dies Aegyptiacus; huic enim auctori placet Dies Aegyptiacos non eſſe atros & nefaſtos, ſed tales, quibus illis, qui Aegyptiorum Religionem

q) Pag. 363. De Iſide.

r) Conjectura in Clauſulam Tab. Bembinæ. Miſcellan. Berolin. VII. 388.

s) Hæreſi §. 51. 30.

nem ſequebantur, feriæ imperatæ fuerunt; ſed me non fugit multa contra hanc ſententiam dicta & ſcripta fuiſſe. Nunc vero non inquiro, cur eo tempore, de quo quæſtio eſt, Oſirin inventum eſſe dixerint, illud enim ſatis eſt, in memoriam hujus Solennitatis Aquarium Canopo ſacrum in aſtra relatum fuiſſe, quod majorem veri ſpeciem inde mutuatur, quod effigies hydrias ferentes, in Aegyptiorum monumentis ſint frequentiſſimæ. Hæ feriæ apud Græcos in Bacchi honorem habebantur; imo ipſi Chriſtiani, qui Orientem incolunt, & multas Aegyptiorum ſuperſtitiones ſequi ſolent, eadem hæc feſta celebrant; Si vero quiſpiam quærat, quænam apud illos harum Feriarum ſint origines, reſpondent: *Hac die VI. Januarii baptizatus eſt Dominus, eoque ſanctificavit aquam. Idcirco omnes in ſolennitate hac media nocte aquatum eunt,*

&

& aquam haustam domi reponunt, ac in annum integrum custodiunt t).

Si Astronomos quosdam Veteres audiamus, Piscium Sidus Veneri dicatum fuit *u)*; Sic Nephtis Venus Aegyptiorum, ut illa Græcorum, est Dea maritima, utrique sacer piscis & insignium loco adscriptus; qui hinc Aegyptiis & Pythagoræis, ut marina omnia, horrori fuit, quia Nephtis Typhonis, naturæ monstri, uxor erat, cujus

t) Chrysostomus Homil. de Baptismo Christ. 2. 396. Montfauconii. Pagii Critica ad Annales Baronii A. C. 29. n. 7.

De diebus Aegyptiacis conferri merentur, quæ Clar. Sinnerus breviter & solidissime contra Jablonskium scripsit, in Catal. Cod. MSS. Bibl. Bern. Tom. 1. pag. 42. De iisdem exstat elegans Nagelschmidii dissertatio.

u) Scholia ad Germanicum. pag. 121. Hyginus Poët. Astron. 30. pag. 482.

jus Regnum etiam in mari collocabatur *x)*.

Et quoniam omnia persequimur, volumus quidem certe, dicendum est, Kircherum in Oedipo suo juxta Arabes, qui de Aegyptiorum rebus scripserunt, Indicem exhibere omnium Plantarum, quæ Zodiaci signis tributæ fuerunt *y)*. Singularis enim erat & sacra Aegyptiorum circa plantas cura, quæ Zodiaci sideribus potuerunt adsignari, vel quoad tempus quo nascuntur, vel præcipue, quoad earum virtutes,

x) Philosophi Aegyptii per Nephtin præcipue intelligebant steriles oras sinus Arabici; huic Deæ, ut & Typhoni, Pisces, paucis, qui grati sacrique erant exceptis, omnes, dicati fuere, qui ideo in Hieroglyphicis notis erant vulgaria signa odii. Amores autem Martis & Veneris apud Græcos ex connubio Typhonis cum Nephti videntur deducendi.]

y) Tom. 2. P. 2. 351. sq.

tes, quæ ſimilitudinem cum Diis ſigniferi orbis habere videbantur, propter famoſa illa defluvia, quæ inde in terram noſtram manare cenſebantur. In Piſcium autem ſigno occurrunt Cicuta, Hyoſcianus, Napellus, Solanum, Plantæ venenatæ & noxiæ, quæ Nephti Typhonis conjugi optime potuerunt tribui, dum his Numinibus, ut malis Principiis, omnia ea adſcripta fuerunt, quæ in rerum univerſitate corrupta videbantur & noxia. Nolo longus eſſe in hac ſectione, nam, etſi negari nequeat multa de Plantis in Aegyptiorum Religione tradita fuiſſe, nemini tamen dubium eſſe poteſt, ea, quæ KIRCHERUS heic profert, recentiora videri, & ab Hermeticis illis junioribus profecta, qui exiguam merentur fidem z).

E PISCIUM

z) Inſunt tamen & his genuina quædam Aegyptiæ antiquitatis veſtigia, quæ a recen-

Piscium ſidus in vetuſto Aegyptiorum Obeliſco conſpexi *a*).

Equidem id etiam animadverto ultimum Zodiaci ſignum eſſe illud Piſcium, ſic Mare terminat Aegyptum; primum ſigniferi Circuli ſidus eſt Aries, ſic Thebæ Jovi Ammoni Arietique ſacræ Aegyptum ordiuntur; mediæ ſunt illæ Provinciæ, in quibus Apis ceterique Aegyptiorum Dii colebantur.

Hinc forte cuilibet in mentem venire poſſet, Geographicam quandam Aegypti chartam ab hujus Gentis Sacerdotibus in Cœlo collocatam fuiſſe *b*). Et favent huic opinioni ea, quæ de

tionibus diſtinguere quidem difficile eſt, non tamen impoſſibile.

a) Pococke *Deſcript. of the Eaſt* &c. 3. 207.

b) Sacerdotes Aegyptii in rerum Univerſitate innumeros Naturæ quaſi concentus & conſenſus quæſiverunt. Sic diverſa Signa Zodiaci etiam cum variis corporis noſtri parti-

de Delta Aegypti in cœlesti illo Triangulo *c)*; & de Nilo in Eridani constellatione *d)* repræsentato, apud veteres

bus magnam naturæ convenientiam & conjunctionem habere putabant, quæ juniores Hermetici curiosius & longius extendebant.

b) Interpres Germanici 121.

c) Idem 133. Addendus Hyginus in Poët. Astronom. 2. 32. pag. 483. Van Staveren, qui ait: *Qui autem Eridanum Nilum volunt vocari propter magnitudinem & utilitatem æquissimum esse demonstrant, præterea quod infra eum quœdam stella sit, clarius ceteris lucens, nomine Canopos appellata, Canopus autem Insula flumine alluitur Nilo.* Aegyptum integram *Cœli imaginem* existimabant teste Pseudo Hermete Trismegisto Allocutione ad Asclepium inter Apuleji Opera pag. 90. Elmenhorstii, *Nilum* vocabant *æmulum & imitatorem Cœli* Heliodori Aethiop. 9. 423. Bourdelotii. Philo de V. Mosis 3. pag. 682. Manilius 3. 453. Cujus

deprehenduntur. Sed hæc ſunt nimis dubia, quam ut ulterius de illis coram illuſtri Veſtra Societate diſputem, quæ ſtudiorum longo uſu, & Gentis veſtræ jure, res non ex ſpecie, ſed ex veritate exiſtimat, ponderat.

hæc ſunt verba:

Nilus & erumpens imitatur Sidera Mundi
Per ſeptem fauces atque ora' fugantia Pontum.

Hæc vero omnia probant Aegyptios undique affinitatem inter Cœlum & Terram ſuam, Oſirin cœleſtem ſeu ſolem, terreſtrem ſeu Nilum, quæſiviſſe. In Regione illorum omnes fere Nomi ab Animali aliquo nomen habebant. In Cœlo omnia fere Solis ſigna a Beſtiis cognominata fuere. Recentioribus Aegyptiorum temporibus Thuribulum Phari cognomen accepit.

F I N I S.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA

DE

CEPIS ET ALLIIS AB AEGYPTIIS CULTIS

AD

ILLUSTRISSIMAM ACADEMIAM
REGIAM SCIENTIARUM
ET
LIBERALIUM ARTIUM
LUGDUNENSEM.

DISSERTATIO SECUNDA

DE

CEPIS ET ALLIIS AB AEGYPTIIS CULTIS.

NON levem Aegyptiorum circa Cepas, Allia, Porrumque, fuiſſe religionem eruditis omnibus conſtat; ſed latet eos hujus rei origo ratioque. Ut enim Veteres in his ſibi contradicere, ſic Recentiores in omnia devia diſcedere video. Lubet jam hanc ſuperſtitionem nova conjectura illuſtrare, atque Antiquorum diſſenſum tollere.

Primo quidem locó Veterum teſtimonia, quae hac de re agunt, adferam; dein oſtendam Cepas uni Aegypti Nomo, unique Deo ſacras fuiſſe; porro evincam non de omni Cepa heic ſermonem eſſe, ſed de una tantum earum

fpecie; tandem in originem hujus fuperftitionis inquiram.

Notiffimus eft JUVENALIS *a*) locus, qui Sat. XV. totus in eo verfatur, ut Aegyptiorum ritus atrocius reprehendat:

Porrum & Cepe nefas violare & frangere morfu,
O Sanctas gentes, quibus hæc nafcuntur in hortis,
Numina.

ET RECOGNITIONES CLEMENTINAE: *b*) *Aegyptii Cepas, & Cloacas, & Crepitus ventris, pro Numinibus habendos effe docuerunt.*

Ita porro CHRYSOSTOMUS *c*): *Multi Gentiles fic erraverunt, ut in tantum ftuporem & amentiam inciderent, ut*

a) Sat. XV. v. 9.
b) Patr. Apoftol. Cottelerii T. I. L. V. 551.
c) In Genefin Cap. I. Homil. 7. fol. 39.

ut & Cepe, & Allia, & his viliora adorarint.

Addamus his PRUDENTIUM, qui duobus locis hujus ſuperſtitionis mentionem injicit *d)*.

> *Adpone Porris religioſas Arulas,*
> *Venerare acerbum Cepe, mordax Allium.*
> *Fuliginoſi thure placantur Lares,*
> *Et reſpuuntur conſecrata holuſcula;*
> *Aut unde major eſſe majeſtas focis,*
> *Quam nata in hortis ſarculatis creditur.*
> *Si Numen Ollis, Numen & Porris ineſt.*

Idem adverſus Symmachum *e*):

d) Hymn. X. v. 261.

e) Lib. 2. v. 865. Huc trahendus etiam Sedulius Lib. 1. 257:

Vilia Niliacis venerantur Olufcula in hortis;
Porrum & Cepe Deos imponere nubibus aufi,
Alliaque.

Hi iam funt Auctores, qui tradidere omnes Aegyptios Cepas divinis honoribus profecutos fuiffe; fed non maximam merentur fidem, dum ille Satyræ mordacis ftudio; hi, ut Gentilibus crimen facerent, aliquid fibi indulfiffe putandi *f*).

Ab illis vero difcedunt Vetuftatis Scriptores, qui adftruunt Aegyptios Cepis abftinuiffe, non quod eas adorarent,

Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina ficca rigant, verique hac arte videntur,
Transplantatorum cultores effe Deorum.

f) Conferendus Clar. Goguet, *Origine des Loix, des Arts*, T. 1. L. 6.

rent, ſed potius, quia illas penitus abhorruere. Duplicem enim hunc Abſtinentiæ Aegyptiorum fontem, multa quidem inter ſe communia habentem, ubique deprehendimus. Sic Aegyptii, & poſt eos Pythagoræi, Faba, quam immundam putabant, abſtinere conſueverunt; Porcum quoque, Typhoni tributum, exoſumque, in cibum adhibere noluerunt.

Aegyptios Cepas averſatos fuiſſe teſtis eſt DIODORUS SICULUS g): *Alii Lentibus*, ait ille, *Fabis alii, nonnulli Caſeis, aut Cepis, & id genus eſca, quibus Aegyptus abundat, penitus abſtinent; ſic declarantes docendos eſſe mortales ut ab immodico comeſtibilium ſibi temperent uſu*,

g) Lib. I. p. 100. Edit. Weſſelingii, Origenes contra Celſum Lib. V. pag. 604. Tom. I. Ed. *De la Rue: Accidet, ut qui Philoſophi inter Aegyptios degent, perridicule Cepis abſtineant, ut patria ſervent inſtituta.*

usu; & si quidvis a quovis edatur, nihil absumentium ingluviei tandem sufferturum.

SIC quoque PLUTARCHUS *h) Sacerdotes Cepam aversantur & graviter cavent, quia decrescente solum luna vigere & incrementum capere solet.* Ita porro MINUTIUS FELIX *i)* de Aegyptiis *non magis Isidem, quam Ceparum acrimonias metuunt.*

JUNGAMUS his HIERONYMUM *k)*, qui ait: *Taceo de formidoloso & horribili Cepe.*

SUNT igitur ex vetustis Scriptoribus, qui tradunt Aegyptios Cepas religioso prosequi cultu, sunt alii, qui illam Gentem eas exhorruisse putant.

IN

h) De Iside & Osiride pag. 630. Edit. Graecae H. Steph. Paris. 1582.

i) In Octavio p. m. 278.

k) In Esaiam Lib. XIII. Cap. 46.

In antiqua Somniorum Doctrina, quæ fere tota Aegyptiæ est originis, hujus superstitionis luculenta quoque supersunt vestigia. Artemidorus enim in *Onirocriticis l)* de Cepis sic habet: Κρόμμυα δὲ καὶ σκόροδα ἐσθίειν μὲν πονηρὸν, ἔχειν δὲ ἀγαθὸν: *Cepas & Allia comedere nefastum; plantare vero & habere bonum est.* Sed istius opinionis ratio hunc Auctorem latuit; Aegyptii ipsi heic fuissent adeundi; ista enim verba similia sunt hujus Gentis & Pythagoræ effatis, qui pari modo de Malva, ipsis culta, sic prolocuti fuere, *Herbam Molochen serito, sed eam ne comedito m)*; eadem ratione de Gallo Ἀλεκτρυόνα τρέφε μὲν, μὴ θύε δὲ.

Antequam ulterius pergam subjun-

l) Lib. I. Cap. 69. pag. 58. Edit. Rigaltii.

m) L. G. Gyraldus Pythagoræ Symbola pag. 130. Jamblichus Symb. 18.

jungendus videtur PLINII locus *n*), *Allium Cepaſque*, inquit ille, *inter Deos in jurejurando habet Aegyptus*. Erat enim is vetuſtus Aegyptiorum, Rhadamanthi uti & Pythagoræ, atque Socratis mos, ut per Canem, per Arietem, Anſerem, Platanum, Crambem aliaque jurarent, quia hæc Diis quibuſdam Aegyptiorum ſingulari modo ſacra fuiſſe conſtat.

SED his omnibus, quæ hactenus de Aegyptiorum a Cepis abſtinentia ex Antiquorum mente docui, contrariari videtur vetus Traditio, quæ perhibet Cepas, Porrum, Alliaque, quæ in Aegypto non parva copia miraque magnitudine exiſtunt, ibi frequenter in victu adhibita fuiſſe.

ABRA-

n) Hiſt. Nat. XIX. 6. & L. 2. c. 7. per fœtidos cibos jurantes.

ABRAHAMI Posteri in Desertis circumerrantes apud MOSEN *o*) sic conqueruntur: *Recordamur Piscium; quos edebamus in Aegypto gratis; Cucumerum, Melonum, & Porrorum, & Ceparum, & Alliorum.* Interpretes SSæ. in hoc loco explicando fere consentiunt quoad voces *Bezalim* & *Schumim*, quas Cepas & Allia vertunt. Longius vero a se recedunt in explicando vocabulo *Chatzir*, de quo OLAUS CELSIUS *p*) luculenter probavit id Porrum significare

o) Num. XI. 5.

p) Hierobotanicon. T. 2. 263. seq. Conferendus Clar. Hasselquist pag. 562. cujus hæc sunt verba: ALLIUM CEPA *H. V. 3. Arab. Bajal. Hanc fuisse ex Ceparum speciebus ab Israëlitis desideratam unam, probat usus copiosissimus & præstantia ejus in Aegypto, non meliorem inveniri cepam illa Aegypti per universum Orbem certo persuasus erit, qui semel in cibum acceperit,* &c.

care. Cum vero Erud. iste Auctor Versionem Coptorum heic in subsidium non vocaverit, illam, quæ LXX. Interpretes sequitur, subjungam; sic vero habet *Nem Niägi, nem Piemgol, nem pischsän. Aegi* Coptis porrum, *Emgol q*) Cepam, significant. *Ischsän* hoc solo loco observavi, vulgo Allia Coptis *Corthom* & *Mauctos* dicuntur.

De Cepis ad victum adhibitis hæc leguntur apud gravissimum Scriptorem Herodotum *r*): *In Pyramide Litteris Aegyptiacis scriptum est, quantum pro Raphano, Cepis & Alliis, quæ Operariis exhibebantur, erogatum fuerit.* Atque de eadem re disserens Plinius *s*) *Aliqui prodiderunt in Raphanos & Allium ac Cepas mille octingenta Talenta* ero-

q) *Aegi* & *Emgol* scribuntur per Giangia.
r) Lib. II. n. 124. p. 137. Edit. Gronovii.
s) Hist. Nat. XXXI. 12.

erogata t). Cum vero in Aegypto ob Animalium cultum Regionisque naturam Carnes fere nullæ, fructus paucissimi in victum cederent, necessario ad Olera leguminaque confugiendum fuit.

POSSET quidem quis ad Mosis testimonium regerere, Aegyptios etsi Cepas exhorrerent, nilominus Judæos servos suos, illis enutrire potuisse; huic enim Genti omni ævo Cibus iste in deliciis fuit; a Patribus quippe suis hæreditatis jure acceperunt, ut Allia semper oboleant *u*).

ET suffragari posset huic opinioni, quod Sacer Scriptor de piscibus addit, quos Aegyptii fere omnes tanquam Typhoni sacros aversati fuere *x*).

F AD

t) Quidam contra Codices, jure tamen, mille sexcenta, præferenda statuunt.

u) R. Salomon Filius Virgæ in Hist. Gentis Judaicæ à G. Gentio conversæ p. 450.
Salomon Zevi Theriac. Jud. Cap. I. §. 20.

x) Plutarchus de Iside 748.

AD locum autem HERODOTI atque PLINII excipiendum foret, illos de Pyramidum structoribus loqui; ad istum vero laborem Aegyptios Israëlitarum ope usos fuisse a vero non videbitur absimile *y*).

SED non opus est tam dubiis inniti conjecturis; alia enim responderi queunt, quæ vero propius accedunt, & omnem Veterum hac de re dissensum penitus tollunt.

STATIM enim non in omni Aegypto viguit hæc superstitio, sed in uno tantum ejus Nomo illa obtinuit. Aegyptiorum enim Sacerdotes unicuique Pago singulare Numen, proprias Plantas & Animalia dicavere, sic paucis bestiis, quæ ubique sanctissimæ erant, exceptis, ceteræ omnes in iis tantum regionibus gratæ fuerunt, in quibus id Numen, cui dicatæ erant, colebatur.

Aegy-

Herodotus Lib.II. Cap.37. p.102.

y) Josephus Antiq. Jud. Lib.II. Cap.5.

Aegyptiorum circa Cepas Religionem apud unam tantum ejus Regionis Gentem in usu fuisse, testis est Auctor HIST. BARLAAMI z). *Alii Crocodilum* - - (coluerunt) *quidam Cattum, & Canem, & Lupum, & Simiam, & Draconem, & Aspidem. Alii Cepas, & Allia, & Spinas a).*

F 2 Ac-

z) Ex antiqua Versione, quæ exstat ad finem Edit. Damasc. Basil. 1548. pag. 67. Joh. Damasceno hoc opus vindicare tentavit Allatius in Prolegom. Edit. P. M. *Le Quien* T. I. 25. seq.

a) Origo & ratio Cultus Plantarum apud Aegyptios eadem cum veneratione sacrorum Animalium. Hæc Gens per omnia Naturæ Regna ea quærebat, quæ cum Diis suis aliquam habere videbantur affinitatem; atque illa a Philosophis ut Symbola Numinum spectabantur, vulgus vero ubique stolidus, pro Diis eorum signa, pro Luna per noctivagum Cattum adumbrata, ipsam hanc bestiam adorabat; existimabatque pro Astro per Anguem Anguil-

ACCEDO ad alium Auctorem, qui non modo Cepas uni tantum Aegypti Regioni ſacras fuiſſe tradit, ſed ejus nomen nobis ſuppeditat. Eſt is LUCIANUS, cujus hæc ſunt verba *b*): *Omnibus quidem Aegyptiis commune Numen Aqua*, (non omnis ſed Nili tantum) Ἰδίᾳ δὲ Μεμφίταις μὲν ὁ Βȣ̃ς Θεός; Πηλȣσιώταις δὲ Κρόμμυον. *Privati autem Dii ſunt Memphitis Bos, Peluſiotis Cepa.* Ita quoque SEXTUS Philoſophus *c*): *Cepas vero nullus unquam ederit eorum, qui Sacris Caſii Jovis apud Peluſium initiantur, ſicuti nec Lybicæ Veneris*

lamque, pro ſole per Gallum ejus nuntium, per Scarabæum globum volventem, per ſoliſequam Malvam Lotumque repræſentato, ipſa iſta Animalia ipſaſque has Plantas ſibi pie colendas eſſe.

b) In Jove Tragœdo Cap. 42. T. 2. pag. 690. Ed. Hemſterhuſii.

c) Lib. III. Cap. 24. pag. 184. Edit. Fabritii.

neris Sacerdos Allium unquam gustaverit. Et AULUS GELLIUS *d*): *Id etiam*, inquit, *multo mirandum est magis, quod apud Plutarchum in IIII in Hesiodum*, (plurimi corrigunt in Isin & Osiridem) *Commentario legi, Cepe tum revirescit & congerminat decedente luna, contra autem crescit adolescente. Eam causam esse dicunt Sacerdotes Aegyptii cur Pelusiotæ Cepe non edunt, quia solum olerum omnium contra Lunæ aucta atque damna, vices minuendi & augendi habet contrarias.* Sic quoque HIERONYMUS *e*): *Taceam de formidoloso & horribili Cepe, & Crepitu Ventris inflati, quæ Pelusiaca Religio est.* Ultima ista verba ad Cepas pertinere non modo ex Luciano luculenter patet, sed præcipue ex alio HIERONYMI loco, qui sic habet:

d) Noct. Attic. Lib. XX. VIII.

e) In Esaiam Lib. XIII. Cap. 46.

bet: *Coge Aegyptium, ut Ovium lacte vescatur; compelle Pelusiotam, ut Cepe manducet.*

LIQUET jam apud Pelusiotas Ceparum cultum praecipue viguisse; inde de hujus Religionis natura aliquid licet concludere. In illis nempe oris sedem fixerat Typho, Naturae monstrum, cujus cultum non beneficia neque gratus animus, sed metus terrorque stabilivere. Is dum Maris praeses censeretur, non modo omnia Aegypti littora obsidere, sed praecipue circa Pelusium & Sirbonin lacum delitescere putabatur *f*). Sic EUSTATHIUS ad Dyonysium Geographum *g*). *Sirbonis lacus, & regio, circa quam Typhonem latere fama est, parum a Pelusio, monteque distat Casio.*

f) Herodotus Lib. II. Cap. 5. Plutarchus V. Antonii Etymolog. M. v. Τυφώς.

g) Ad Versum 253.

Caſio. Hinc SOLINUS *h*) dum Typhonis cubile in Cilicia collocavit, ridicule ſubjungit, *Cilicia autem uſque ad Peluſium Aegypti pertinebat.* Inde tandem Peluſium, *Abaris* antiqua, Sacerdotibus Typhonia vocabatur *i*).

QUAE hactenus conjectando diſputavi de Cepis Typhoni ſacris, ea in majori luce collocentur, cum declaravero ſpeciem Ceparum, quæ huic Numini dicata fuit. De Scilla ſeu Cepa marina loquor, bulborum nobiliſſima, quam in eadem cum Cepa familia eſſe non modo ex primo ejus intuitu, porro ex iis patet Auctoribus qui Naturam ducem in generibus ſuis conſtituendis adhibuerunt *); ſed præcipue ex nominibus *Cepa Marina*, *Oignon de Mer*,

h) Cap. XXXVII.

i) Marsham ex Manethone Sæculo VIII.

*) Præter multos alios Botanicæ Artis Scriptores adeundus Clariſſ. *Adanſon* p. 49.

Zebolla Allbatara, Meerzwibelen; unde patet omnes fere Gentes Cepis hunc Bulbum annumerasse. Illum vero Typhoni sacrum fuisse APULEJUS docet dicendo. A Græcis dicitur *Scilla*, aliis *Typhonos*, *Aegyptii Sylitho*, *Propheta Ophtalmon Typhonos k)*. Epithetum *Typhonos* & *Oculus Typhônis* ex Aegyptiorum Sacerdotum Hieroglyphica sacraque lingua desumtum est. *Sylitho* proprium hujus Plantæ Aegyptium nomen est, quod Coptis non amplius in usu, qui Græcum Scillæ vocabulum adhibere solent. Sed vereor ne huic voci insit corruptio; Regiæ enim Bibliothecæ Parisiensis Codex, noni Sæculi, optimæ notæ, quem cum Editione HUMMELBERGII contuli, legit *Subtho*, quod ad Genium Linguæ Aegyptiacæ propius accedere videtur *l*).

NE-

k) Cap. 42.

l) MSS. num. 6862. 4. Adpictæ sunt huic

Neque moror Kircheri testimonium, qui ad Arabem Vaticanum provocat, hanc Plantam Aegyptiace *Slitha* vocantem *m*). Is enim Auctor, dum mox oscitanter, mox fraudulenter Arabes citat, nullam amplius mihi meretur fidem.

Codici plurimæ Plantæ. Isque vicem tenebit alterius Apuleii Codicis Manuscripti, de quo Vossius ad Melam pag. 151. & 154. Comparandus etiam Dioscorides Vindobonensis cum pictis plantarum imaginibus; notandum tandem in Bibliotheca Bernensi exstare manuscr. Apuleii codicem recentem quidem & corruptissimum, veras tamen etiam quasdam Lectiones exhibentem, ut patet ex speciminibus egregiis, quæ Clar. Sinnerus p. 521. Eruditiss. Catalogi protulit.

m) Append. ad Linguam Aegypt. restitutam. 598.

QUANDO in Nothis Diofcoridis ad Cap. 31. Lib. III. de *Stoechade* hæc legimus: Ὁι δὲ Στυφωνία. (corrige Τυφωνια) Ἀιγυπτιοι Σϐφλῶ, Πϱοφῆται Οφθαλμὸς Πύθωνοσ; (Lege Τύφωνοσ) id non de Stoechade Veterum proprie fic dicta, fed de vera Scilla intelligendum exiftimamus, quod luculenter apparet ex collatione locorum Apuleii & Diofcoridis.

APULEIUS dicit Prophetas Scillam vocare Ophtalmon Typhonos; folebant enim Aegyptiorum Antiftites Plantas cum quibusdam humani corporis partibus conferre; fic Bulbum Cepamve cum oculo affinitatem habere putabant. Ita, ut cognatum afferam exemplum, Pentaphyllon, *Hermu Dactylon* vocant *n*), quia digitos expanfæ ma-

n) Apuleius Cap. 2. Sic Cynosbathon, Anu-

manus exprimere videbatur; & eandem plantam *Ibyos Onycha* appellant; Ungues Ibidis, Mercurio facræ Avis, cum digitis conferentes. Imo eousque progreffa fuperftitio, ut his partibus corporis, cum quibus Plantæ aliquam affinitatem habebant, mederi putarentur.

RATIO, ob quam Scilla Typhoni facra fuit ex ejus noxia virtute deducenda. *Scilla*, ait DIOSCORIDES *o*), *vim habet acrem, ignitam, urentemque.* De Typhone autem PLUTARCHUS *p*) affir-

bidi, Mercurio Aegyptiorum, facram, Ibidis vocavere fanguinem; fic Anethum eidem dicatum Cynocephali crines & genituram appellare confueverunt.

o) Lib.2. cap.202. Conferri queunt Corvini, Alberti, Schulzii, fingularia fcripta de Scilla.

p) De Ifide 648.

affirmat, *eum esse quiquid siccum, urens, atque ignitum est q*). Imo AVICENNA, MESVE, CLVSIVS, aliique plures Veterum pariter ac Recentiorum, afferunt quod nimium videtur, esse quandam Scillæ speciem, quæ lethifera & penitus venenata est. Testem excitabo SVIDAM, qui inquit, Σκίλλα εἶδος Βοτάνης πικρᾶς καὶ θανατηφόρυ τοῖς ἐσθίυσι. *Scilla est Plantæ amaræ species, quæ mortem comedentibus affert.*

Typhoni autem consecranda fuit, juxta illud PLVTARCHI *r*), *omnia Animalia, quæ detrimentum inferunt, noxiæ omnes Plantæ, pravique affectus, Typhonis*

q) Ob eandem rationem Dracontea (*Dracontium,*) Typhoni tributa fuisse videtur, teste Apuleio 14. mordaci enim atque urenti gaudet virtute æque ac Arum, cum quo a Veteribus frequenter confundi videtur, & cui etiam proxime accedit.

r) De Iside 662.

phonis opera, partes, motusque perturbantes cenſentur. Et idem alio loco s), *quidquid in Natura corruptum noxiumque deprœhenditur, Typhonis pars æſtimanda.*

Locutiones iſtas Pars, Motus Typhonis, porro Oculus Typhonis, tum demum rite comprehendimus, cum cogitamus Aegyptios Typhonem per totam Naturam diſperſum exiſtimaviſſe.

Ut autem ea, quæ de Scilla, ob noxiam virtutem Typhoni dicata, tradidi ulterius probentur, aliam afferam Plantam, huic monſtro ob easdem rationes ſacram. De *Hyoſcyamo* loquor, quem Veteres, ad ejus vires reſpicientes, *Maniopeon*, *Emmanes*, *Adammenes*, *Dythyrambion*, & *Inſanam* vocavere. Sunt adhuc in recenti memoria hiſtoriæ de ruſticis, has plantas caſu comedentibus,

s) De Iſide 657.

dentibus, & funeſtas earum virtutes experientibus *t*).

APVLEIVS *u*) & NOTHA DIOSCORIDIS *x*) aſſerunt iſtam Plantam Typhonion vocatam fuiſſe. Subjungunt iidem Aegyptios eam *Saphto* appellare,

t) Forſitan effectus immoderati uſus vini, ab Hyoſciamo non multum diverſus, occaſionem dedit ſententiæ Aegyptiorum, de Vitibus ex Typhonis, ſeu eorum, qui Diis bellum intulerunt, ſanguine natis; teſte Plutarcho de Iſide. Hinc illa Vini abſtinentia explicanda, quam antiquiores Aegyptii, & præcipue illorum Sacerdotes obſervarunt, & quam imitati fuerunt Sinenſium Indorumque Philoſophi, Perſæ, Pythagoras, Cecropis Græcæ Coloniæ, Cybeles Miniſtri, & omnes in univerſum Manichæi.

De Hyoſciamo conſuli poteſt Wedelius, qui in ſingulari diſſertatione de hac Planta multis egit. Jenæ 1715.

u) Cap. IV.

x) Notha Dioſcoridis ad Cap. 69. Lib. IV.

pellare, quod nomen idem eſt cum *Subtho*, quo juxta Codicem Regium eadem Gens Scillam vocavit; videtur ergo ſuperius allata lectio priori ſine dubio præferenda.

NOTANDUM tandem PLUTARCHUM y) duas longe alias afferre rationes, quibus accidit, ut Aegyptii Cepas abhorrerent. Primam, quam ipſe ridet, inde deſumit, quod Dictys ab Iſide enutritus Cepas quærendo in aquam inciderit; latent forte in his veſtigia antiquæ Traditionis de Cepa Ma-

y) Circa ea, quæ ex Veteribus de Scillæ viribus tradidi, multo melius nobis conſtaret, ſi ævum tuliſſet liber, quem Pythagoras, Aegyptiorum perpetuus imitator, de hac Planta conſcripſit, & cujus mentionem injecit Plinius. Id quoque notatu dignum videtur Dioſcorid. 3. 54. Theophraſt. 9. 15. & Plinium 25. 4. tradere decantatum illud Homericum Moly, Scillæ folium, Cepæ radicem habuiſſe.

Marina Typhoni, Maris Domino, Deoque ſacra. Alteram vero inde deducit quod Cepæ Luna tantum decreſcente incrementum ſuum capiant; ubi notandum PLUTARCHUM, cum citato loco de Porco Typhoni ſacro agit & AULUM GELLIUM Lib. 20. 8. eandem penitus hujus conſecrationis rationem attuliſſe. Sic Aegyptii de Animalibus Exoſis, Porco, Orygeque, Antipathias cum Sole & Luna, de Beſtiis vero Sacris, Cynocephalo, Fele, Mure Araneo, Sympathias cum iſtis Numinibus in vulgus proferre ſolebant.

ET cum certo ſciam omnes fere Græcorum Fabulas ex Aegypto deducendas, eam quoque, quam illi diverſimode de Scylla, monſtro marino, conſcripſere, hinc derivandam cenſeo. Sunt enim, qui Scyllam Nyſi filiam Minois amore captam tradunt; duo

iſta

iſta nomina Aegyptum penitus produnt. Favet quoque conjecturæ meæ illorum aſſertum, qui Circen venenatis herbis Scyllam in marinum monſtrum mutaſſe ſtatuunt z); quæ in Siculorum oris forte locata, quod Typho, ſeu Gigantes, in ignivomo Aetna delitеſcere cenſerentur. Nec deſunt ex vetuſtis Scriptoribus, qui Græcorum Scyllam Typhonis filiam fuiſſe adſtruunt a); in quibus luculenta ſuperſtitionis iſtius veſtigia, firmaque opinionis meæ præſidia, ſupereſſe puto.

TYPHONI igitur Cepa Marina ſacra fuit, hinc eam Aegyptii abhorrue-

G re;

z) Ovidius Metam. XIV. 55.

a) Natalis Comes Mythol. VIII. 12, qui in hanc rem Timæum, veterem Hiſtoriarum Scriptorem citat. Apud Euſtathium Odyſſ. M. p. 1714. legi nonnullos Scillam Tritonis dicere filiam.

re; Pelusiotæ vero, qui hoc Numen colere coacti fuerunt, huic Plantæ divinos honores exhibuere *b*); ceteris Cepis, hac sola specie excepta, Aegyptiis, uti licuit. Hæc, dum Recentiores nescirent, & quod de specie verum fuit, ad totum genus transferrent, contigit, ut de ista re tam varia prodiderint, quæ omnia, si mea teneatur opinio, ad lucidum deduci queunt *c*).

HEIC quoque obiter mihi tangendus videtur locus PERSII, Sat.V. 186.

Hinc

b) Sic Hippopotami, Asini, Crocodili, in Aegypto a nullis aliis, quam a cultoribus Typhonis, cui hæc animalia sacra, divinos honores accepisse videntur.

c) Recentiores quoque Sabii, quod de specie Ceparum verum fuerat, ad totum Ceparum Alliorumque genus transferentes, iis abstinere consueverunt. Vide Abulpharagii

Hinc grandes Galli, & cum Sistro lusca Sacerdos

Incussere Deos inflantes corpora, si non

Prædictum ter mane Caput gustaveris Alli.

De illis Poëta agit, quibus a malignis Dæmonibus morbi incutiuntur, his remedium porrigit suadens, ut Alli caput gustent. Bibliothecæ Bernensis codex Sæculi X, optimæ notæ, in margine habet *gestaveris*, ab eadem manu profectum, quæ Lectio sese tueri potest ob frequentem veterum Amuletorum usum.

Nil vero magis obscurum hunc locum, cujus maxima difficultas est in

Hist. Dynast. 281. Sale *the Koran* p. 15. *the preliminary discourse.*

Vocabulo *Prædictum*, illuftrare poteft, quam teftimonium PLINII, ab interpretibus omiffum, qui Lib. XXIV. cap. 17. hæc habet: *Jejunum debere effe qui colligat*, (Gramen Amuleti loco adhibendum,) *ita ire in domum abfentis cui medeatur, fupervenientemque ter dicere jejuno jejunum medicamentum dare, atque ita adalligare, triduoque id facere d).* Ad Perfii locum trahi porro poffent PYTHAGORAE, DIOSCORIDIS, PLINII, aliorumque effata, qui Scillam, quam Antiqui cum Allio confundebant, optimum

d) Amuleta ex Plantis juxta Aegyptios legenda erant cum fumma cura, a jejunis, alia crefcente Luna, alia exortu Solis, nonnulla oriente Sirio. Herbæ iftæ fanctiffimæ non ferro evellendæ erant, fed manu, idque præcipue finiftra.

mum Ἀλεξιφαρμακον fuiſſe tradiderunt. Sed ſatius eſt cum TURNEBO & GESNERO de vulgaris Allii Capitibus hæc intelligere, quæ Veteres ad omnium noxarum depulſionem valere putaverunt, & cujus ridiculæ ac avitæ ſuperſtitionis veſtigia quædam adhuc apud infimam plebem ſuperſunt.

SED non ſoli Aegyptii aliquam Cultus ſpeciem Plantis exhibuerunt, illos enim hac in re Aethiopes imitati ſunt; eosdem ſecuti Perſæ; Indi; Sinenſes; Sabii; Pythagoras; atque Druides, Quercum Viſcumque ſancte colentes. Ejusdem rei veſtigia inveniuntur apud Tuſcos, Græcos, & Romanos, qui omnes Arbores, majores frutices, omnesque elegantio-

res flores Diis ſuis ſingulari modo tribuere conſueverunt *e*).

e) Vide Meurſii Arboretum Sacrum.

F I N I S.

DISSERTATIO TERTIA

DE

ORPHEI ET AMPHIONIS NOMINIBUS AEGYPTIIS

AD

PERILLUSTRES SOCIOS

ACADEMIAE ETRUSCAE CORTONENSIS.

DISSERTATIO TERTIA

DE

ORPHEI ET AMPHIONIS NOMINIBUS AEGYPTIIS.

ORPHEI AMPHIONISQUE nomina enodare animus eſt; ſi non certa, nova ſaltem profero, eaque a veri ſpecie non admodum remota. Utrumque Vocabulum Aegyptium cenſeo; illud *Hori*, ſeu *Apollinis*; hoc *Ammonis*, ſeu *Jovis* indigitat filium.

Horum Aegyptiis OR dictnm fuiſſe conſtat ex Manethonis apud JOSEPHUM effato *a*); liquet id porro ex Nominibus Monachorum OR, & PIOR,

G 5 de

a) Lib.I. adv. Appionem Tom.II. pag. 460. Edit. Havercampii.

Aegyptiorum e). Inde utrique horum Numinum in Monumentis tenera ætas; radiis diſtinctum caput, & Aurigæ flagra tribuuntur, quæ Solis fuere inſignia.

HINC etiam *Horapollinis* Nomen explicandum; ita enim Veteres Nomina a Diis Aegyptiorum ſumta ſtruere ſolebant, ut peregrinæ voci græcam, quæ eandem explanaret, frequenter adjungerent. *Horapollonis Vocabulum,* ait EUSTATHIUS *ex Hori & Apollinis Nominibus concinnatum, quæ utraque ſunt Phœbi Epitheta f*). Sic nomen *Hermanubis* ortum, quia *Anubis* in *Hermete* ſeu *Mercurio* Græcorum cultus; quod non attendit Er. PASSERI, qui ſuæ ſemper abblandiens hypotheſi, a vocibus Hebræis AERAEZ, Terra,

e) Lib.II. Cap.IV.

f) Iliad. 4. 332.

ra, & HARAR, Mons, *Hermanubim* nuper ducere ausit *g*).

ERGO hoc quidem apparet OR hic *Horum*, seu *Apollinem* indigitare.

Gphe h) & *Gpho i*), ut de illis quoque agam, Coptis generare significant. Hinc Er. LACROZE PLUTARCHI locum explicavit, qui tradit vocabulum Ἀρσαφὴς Aegyptiis Ἀνδρεῖον significare, quia *Er-gphe* Generationis notat caussam. Hujus vestigia premens JABLONSKI nomen Πεμφῶς, quod ERATOSTHENES Ἡρακλείδην interpretatur, solide restituit legendo, Σεμφῶς *k*). *Sem*

g) Simbolæ Litterariæ Vol. IV. J. P. Passerii de Hebraismo Aegyptiorum p. 67.

h) Scriptum per Giangia. Math. I. 3. 4. 2. Tim. II. 23. 1. Cor. V. 15.

i) Genes. V. 3. 4. 6. Ibid. VI. 10. XXIII. 4. Hinc *Ginpho* Generatio Genes. VI. 8.

k) Annot. in Eratosth. Catalogum Regum

Sem Herculem Aegyptiis ſignificat, *pho* aut *phos* adjectum, ut ejus natus indigitetur; Ubi animadverſione dignum judico *Giangia* in hoc Vocabulo, uti in noſtro, penitus omitti. Sicut autem Semphos filium Herculis, ita ORPHE, Ὀϱφὴς & Ὀϱφεὺς *Hori* ſeu *Apollinis* declarat ſobolem; quod nomen cum illo *Origenis*, Aegyptiis ſolenni, plane idem eſt.

SOLEBAT enim Gens hæc e Cœlo Titulos ſuos deſumere, divinisque Nominibus ad ſatietatem uti *l*); Contineo me

Theb. n. V. pag. 739. Tom. II. *in des Vignoles* Chronologia.

Jablonski de Terra Goſen. Confirmamus hæc omnia loculentiſſimo argumento ex Nothis Dioſcoridis p. m. 473. ubi de Elleboro albo traditur Prophetas, illud *Genituram Herculis*, Aegyptios autem *Somphia* vocare.

l) Diod. Sic. Lib. I. Lucianus pro Imagin. Edit. Salmur. 44.

me ab exemplis; eundem quoque morem illi fecuti fuerunt, qui ad Chrifti Sacra in his oris fefe contulere; inde habemus *Anubion*, *Ifidoros*, *Ammones*, *Serapiones*, *Horos*, & *Oriones* plurimos.

SED, quæ hactenus de ORPHEO *Hori* filio difputavi, firmiora evadent, fi teftes excitabo, qui ORPHEUM *Apollinis* ex *Calliope* filium fuiffe adftruunt.

AGMEN ducet PINDARUS, qui, etfi alio loco ORPHEUM *Oeagri* vocet filium, nihilominus eum *Apollinis* natum nominat his verfibus *m*).

Ἐξ Ἀπόλλωνος δὲ φορμικτὰς ἀοιδᾶν πατὴρ
Ἔμολεν εὐαίνετος Ὀρφεύς.

HUIC quoque fententiæ favebat MENAECHMUS, qui ait ex Oraculo fic effatam Pythiam.

Πιέρες

m) Pyth. Ode IV. 313.

Πιέρες αἰνοπαθεῖς συγὴν ἀποτίσατε
λώβην
Ὀρφέ' ἀποκτείναντες Ἀπόλλωνος φί-
λον υἱόν.

MENAECHMUM in hanc rem citavit SCHOLIASTES PINDARI *n*), qui CHARIN & ASCLEPIODORUM ejusdem opinionis adſertores profert; ultimum iſtum teſtem in hanc cauſam etiam adhibent præclara APOLLONII RHODII *Scholia o*).

PLURIMI ORPHEUM Poëtam & in Muſicis peritum a Græcis Apollinis filium vocari autumant, vel quia vetus hæc fuit perſuaſio ex Diis mortales egredi, virtutes ut in terris exerceant, & dein eosdem ad perfectam divinamque redire originem; vel quod ſimilius veri

n) Pindarus Pauli Stephani loc. cit. p.253.
o) Edit. H. Stephani 1583. Lib.I. v.23. p.2.

veri est, quia qui præcipue in aliqua re excellere videbatur, filius illius Dei, qui huic Arti præses constitutus fuit, dicendus putaretur *p*). Hanc ego Subtilitatem Veterum Philosophia dignissimam judico, sed a veritate remotissimam; cum Græci vetustiores propterea tantum ORPHEUM *Apollinis* filium salutaverint, quia Aegyptium ejus nomen hunc significatum tulit. Ad quæ vero attenderint Aegyptii, cum hominibus divina imponerent nomina, infra ulterius docebo; & sic simul ostendi, quomodo difficultati obviam ire queam, quæ inde oritur quod *Oeager* ORPHEI dicatur genitor.

SUNT igitur absurda & perinfirma, quæ dicuntur de ORPHEO ab *Arif* quod Arabibus scire notat, cognominato

p) Ammonius in Schol. Pindari l. c. *Banier Mythologie* VII. 144.

nato *q*). Vel a *Rapha*, quod iisdem Sanare ſignificat nuncupato *r*). Summæ quoque levitatis eſt CROESII Sententia, qui ORPHEUM & *Europam* idem nomen cenſet, & ab Hebræis vocibus *Or* & *Af*, tanquam a vultu ſplendente, trahere voluit *s*). Sed cui non poſt HUETIUM ſit venia, qui ORPHEUM & innumeros alios eosdem cum *Oſarſiph*, ſeu *Moſe* eſſe perſuadere nobis tentavit *t*).

ORPHEO jungamus Socium AMPHIONEM, cujus nomen *Jovis* indigitat filium. *Jovem* Aegyptiis *Amun*

q) Voſſius de Art Poët. Cap. XIII.

r) *An Attempt towards an Explanation of the Theology and Mythology of the ancient Pagans by J. Turner. I. 128.*

s) Croeſii Hiſtoria Hebræorum ex Homero 146.

t) Demonſt. Evang. IV. Cap. VII.

vocatum fuisse plurima Veterum declarant asserta. *Aegyptii*, ait HERODOTUS, *Jovem Amoun appellant u)*. Consentiunt his DIODORUS SICULUS, JAMBLICHUS, ORIGENES, HESYCHIUS alii plures. Imo apud Divinos vates JEREMIAM *x*), & EZECHIELEM *y*) occurrit Urbs *No-Ammon Thebæ* Aegypti Ammoni sacræ, ubi LXX. Senes Διόσπολιν interpretantur, melius sane, quam HIERONYMUS, qui *Alexandriam* temere intellexit *z)*.

UTI vero superius *phe* in ORPHEUS filium vertere licuit, sic *phion* in voce AMPHIONIS pari modo expli-

u) Lib. II. 41.

x) XLVI. 25.

y) XXX. 15.

z) Jablonski Remphah. 24. Idem de Memnone 37.

plicamus. Quæ enim ad finem adjungitur Terminatio illa penitus græca eſt, iſti ex *Serapis* fecere *Serapion*, ex *Api Apion*, ex *Orus Orion*, ex *Anubi Anubion*, ex *Harpocrates*, *Harpocration*, & ſic ex *Amphe* vel *Amphi* ſtruxere vocem AMPHION.

HIS conſentit totius Vetuſtatis Auctoritas, quæ AMPHIONEM *Jovis* ex *Antiope* filium fuiſſe adſtruit. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum cum res ſit nota, ſolum igitur teſtem adhibebo HOMERUM *a*).

Τὴν δὲ μετ᾽ Ἀντιόπην ἴδον Ἀσώποιο θύγατρα

Ἡ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ᾽ ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι

H 2 Καὶ

a) Odyſſ. Λ. 259.

Euſtathius ad h. l. 1682.

Καὶ ὃ ἔχεν δυὸ παῖδ' Ἀμφίονά τε Ζῆθόντε

Οἱ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο.

AMPHION propterea Thebas Bœotiæ condidit cognomines illis, quæ in ſuperiori Aegypto *Jovi Ammoni* ſacræ fuere. Hinc, ut alia relinquam, *Amphiarai* Oracula cœpere, ad exemplum illius Oraculi *Ammonis* juxta fontem conſtituta, ſecundum Veterum perſuaſionem, qui his vaticinandi vim tribuere ſolebant. Taceo Arietem *Amphiarao* ſacrum, modum reſponſa reddendi; aliaque, quæ ad Oracula *Jovis Ammonis* eodem modo celebrata fuiſſe conſtat *b*).

CUM vero AMPHION nomine ſuo *Ammonis* ſeu *Jovis* filius, ſimul hunc Deum

c) Pauſaniæ Attica p. 33. Corinth. 80. Edit. Wechelii 1583.

Deum peculiari cultu profecutus fuerit, inde concludere licet Aegyptios præcipue ab iis Numinibus homines cognominaffe, quos fingulari modo venerari cenferentur. Et cum varia effent Sacerdotum Collegia, quorum quædam *Thoto*, *Cnuphi* alia, nonnulla *Ammoni* facra fuerunt, inde eorum Antiftites nomina fua forte accepiffe videntur *c*).

AMPHIONIS Etymologiam non ita certam ut ORPHEI cenfemus, in qua ne una quidem deeft littera. Fatemur enim Aegyptios Amonem *Amoun* vocaffe; hinc nobis ad decurtatum *Am* effe recurrendum, illud vero in com-

 pofitis

b) Orpheus quoque præcipue Solem fub Hori & Apollinis nomine coluit. Eratofthenes Cyren. Catafter. 24. pag. 119. Edit. Galæi: *Porro Liberum Patrem Orpheus non honorabat fed* Solem *Deorum maximum appellabat & Appollinis nomine colebat.*

pofitis vocibus jure nifallimur, facere licet.

Illi, qui pravis ingeniis ad fœdiffima usque Etymologiarum ludibria dilabuntur, Amphionem a præpofitione Ἀμφὶ, & participio ἰὼν dictum putant, ac juxta viam natum & circumerrantem interpretari folent. Ut omittam levitatem eorum, qui Amphionem ab Ἀμφὶ cognominatum autumant addito ἰὼν paragogico; aliaque fimilia, quæ & dicuntur & creduntur ftultiffime *d*).

His propofitis quæftiunculæ multæ nafcuntur; veluti num, fi verum eft Orpheum filium *Hori* fignificare, illud forte faveat Aristotelis fententiæ, qui apud Ciceronem *Orpheum Poëtam nunquam fuiffe docet e*), quæ

d) Etymolog. M. 91. Silburgii.

e) De natura Deorum Lib.I. Sect.38.

quæ verba Auctores noſtri fruſtra ad alium ſenſum detorquere ſtuduerunt. Nam ſi ORPHEUS eſt filius Hori, qui inter mortales nunquam exſtitit, neque filium genuiſſe dici poteſt, tum & ipſe ORPHEUS nunquam fuit, & ejus fabula inventa, ut quædam Doctrinæ, quam Moralem vocamus, Argumenta ſub allegoriis proponi queant.

ABSIT, ut iſtis aſſentiar; nam, uti ſupra oſtendi, ORPHEUS hoc nomen adeptus eſt more gentis ſuæ; Ariſtotelis præterea opinio toti, quam veneramur Antiquitati, penitus contradicit.

VERO jam propius accederet ille, qui ſtatueret ORPHEUM, quod plurimi e vetuſtis ſcriptoribus memoriæ prodiderunt *f*), in Aegyptum iter inſtituiſſe,

f) Diod. Sic. Weſſelingii Tom. I. 107. Euſebii Præp. Evang. Lib. I. Cap. I. 47.

tuisse, horumque litteris imbutum dein mutato nomine ad suos rediisse. Sed ne hoc quidem verum est.

PRAECLARE igitur ille Aegyptius, qui apud PAUSANIAM ORPHEUM & AMPHIONEM Aegyptios fuisse perhibet. Ἠξίου δὲ οὗτος Αἰγυπτίους εἶναι μὲν Ἀμφίονα, εἶναι δὲ καὶ τὸν Θρᾷκα Ὀρφέα μαγεῦσαι δεινόν. Quæ ita vertimus. *Putabat autem is* Aegyptius, de quo heic sermo est, *Aegyptios esse Amphionem & Orpheum Magum, qui Thrax apud nos censetur.* Frustra jam hunc locum HARTUNGUS, SILBURGIUS, GEDOIN, & qui eos magno numero secuti sunt, corrumpere annituntur. Illi enim sensum & omnia turbant, dum contra Textum legunt Αἰγύπτιος pro Αἰγυπτίου. Si enim illorum conjecturam sequaris nullum nexum, sensum nullum elicies, imo & illud

lud δεινόν erit contra numerum *g*). Patet quidem PAUSANIAM heic per Aegyptios præcipue intelligere homines horum Artibus, id eſt Magia excellentes; ſed nil vetat quominus etiam intelligas de Magis ex Aegypto oriundis.

FAVET huic opinioni iſtorum nominum origo penitus Aegyptia; favet ei porro Orphicæ Doctrinæ cum Aegyptia ſtupenda, conſtans & omnibus nota affinitas.

Ac mihi videor ſatis & eſſe ORPHEUM atque AMPHIONEM, & quales eſſent oſtendiſſe *h*).

g) Edit. Wechel. p. 199. Eliac. poſter.
Ibid. Notæ Silburgii 434.
Ed. Kühnii p. 505.
Gédoin *Trad. Françoiſe* T. III. 80.

h) Operæ pretium eſt heic obſervare apud Sponium in *Recherches Curieuſes* p. 124. Mont-

fauconium *Antiq. Expl.* 2. 125. & apud Ill. Comitem *De Cailus*, *Recueil d'Antiq.* 3. 10. Monumenta occurrere Aegyptia, in quibus Horus, & qui cum eo idem est, Harpocrates, in medio plurimorum variorum Animalium collocatus est, ex quo apparet, Orphei Græci fabulam, ex affinitate ejus cum Horo Aegyptio, repetendam esse.

F I N I S.

DISSERTATIO QVARTA

DE

COMMERCIIS

ET

NAVIGATIONIBVS PTOLEMAEORVM

QVAM
ILLVSTRISSIMA
ACADEMIA REGIA
INSCRIPTIONVM
ET LIBERALIVM ARTIVM
LVTETIAE PARISIORVM
PRAEMIO DIGNAM IVDICAVIT
ANNO MDCCLXII.

Quæſtio his inſtituta fuit verbis:

Quelle fut l'Etendüe de la Navigation & du Commerce des Egyptiens ſous le Regne des Ptolémeés?

DISSERTATIO QVARTA
DE
COMMERCIIS
ET
NAVIGATIONIBVS PTOLEMAEORVM.

Vetustissimi Aegyptii Commercia Extera, & Navigationes non curabant.

Vetustissimi Aegyptii, suis contenti bonis, Mare abominabantur, & Typhonis Naturæ Monstri sedem putabant; externa, qui exercuere Commercia, in ultimam hominum classem referebant; Sinus Arabici oras cuivis illas occupanti permittebant;

bant; exteros odio habebant *a)*. Cum Oleum Olivarum deeffet alia adhibuere; cum vino carerent ex hordeo fibi potum confecere; cum pro Deorum cultu, fuorumque humatione Aromata requirerentur, Arabes illa fibi adportantes exfpectavere.

Sed fovebant maxime Interna Commercia perfuafi Regionem fuam, a natura munitam, bonis omnibus large donatam, fapientiffimisque Legibus fulcitam, fic diu felicem beatamque permanfuram; cum ab altera parte non nefcirent ex Commerciis nimias divitias, & cum illis, præcipue in Monarchiis, Luxum, indeque Regni deftructionem

a) Strabo pag. 1142 1154. Edit. Amftelod. Aliique plures.

Odium Aegyptiorum erga Commercium, odiumque erga peregrinos præcipue fpectabat Græcos.

ctionem fubfequuturam; imo facile quoque fentiebant per Commercia non modo mores fed & Religionem mutari poffe, cui integræ fervandæ eo magis incumbebant, quo certius noverant, illam civilis fui fyftematis fummum fundamentum conftituere.

Caufæ, quibus accidit, ut eadem Aegyptus Commercia ampliffima exercuerit.

Haec cum ita fint, non abs re erit inquirere, quomodo factum fit, ut ipfum iftud Regnum fub Ptolemæis omnium maximum exercuerit Commercium. Mittimus ea, quæ probabili ratione difputantur de Ofiridis, feu Bacchi, item Sefoftridis antiquiffimis itineribus; neque illa tangimus, quæ magna cum veri fpecie de Coloniis Aegyptiorum ad Sinenfes, Indos, Græ-

Græcos, aliosque populos ductis, heic laudari poffent. Sed nolumus prætermittere Pfammetychum, & fubfequentes Reges, qui Græcos amare, illis fedes concedere, commerciaque eorum tueri inceperunt *b)*. Hanc qui negligunt epocham, nefciunt minimas quasdam caufas, & fucceffivas mutationes, in his probe attendendas; nefciunt parvum iftud Commercium magnum illud, quod Ptolemæi inftituerunt, facilius reddidiffe. Negare tamen nolo præcipuam hujus rei rationem in Alexandri Magni geftis reperiri. Ille deftruxit Tyrum omnis fere Commercii iftarum Regionum fedem; obti-

b) Hac de re ulterius agemus infra in difquifitione Commercii M. Mediterr. Pfammetychi quoque filius Necho Commerciis & Navigationibus operam dedit, fub illo primum Promontorium Bonæ Spei præternavigatum fuiffe videtur.

obtinuit Aegyptum, & adduxit gentes Commerciis deditas; vicit Indos, exstruxit apud illos Urbes, misit illuc Colonias cum Græcis commercia exercituras: & cum Indos vinceret, Mare, quod illorum regionem alluit, antea vix cognitum, itineribus suis Mercatoribus patefecit; Alexandriam ædificavit, post suas victorias, centrum Commercii totius universi.

Haec Occasio magni illius Commercii Navigationumque illarum, quas Aegyptii sub Ptolemæis exercuere, & de quarum amplitudine magnitudineque proposita quæstio est.

Breviter de Commercio Aegypti Interno.

Diu mecum perpendi, an ab initio agendum mihi sit de Interno Aegypti Commercio, quod cum externo ar-

cte conjunctum novi. Sed mihi videor hanc materiam satis in illis pertractasse, quae de operibus scripsi Commercia in Aegypto commodiora reddentibus; & praecipue in Sectione ultima de Mercibus omnium fere Aegypti Provinciarum; ut & illis quibus opus habuit, & quas per totam istam scriptionem enumeravi. Observandum tamen heic est, Ptolemaeos, Aegyptum, occupantes, invenisse regionem, in qua Agricolatio, & omnia, quae internum Commercium juvare poterant, summo jam gradu perfecta fuerunt *c*), quod quantum illis ad Commercia extera utilitatis praebuerit, quivis facile sentiet. Imo ex Regum istorum historia patet illos, uti externum, ita interna etiam non neglexisse Commercia, quorum

c) Infra in singulari sectione de eo disputabimus, an Aegyptus post Alex. mortem multis incolis referta fuerit.

rum prius ſine poſteriore vix poteſt ſubſiſtere. Sic novimus Philadelphum, ut itinera Mercatoribus ſecura redderet, Aegyptum prædonibus penitus purgaſſe *d)*. Sic conſtat illum & alios Aegypti Reges opera multa eximia in Commerciorum Navigationumque gratiam confeciſſe, quæ nunc ſigillatim mihi recenſenda ſunt, Sectione omnibus ceteris lucem datura, & hinc etiam omnibus præmittenda.

Diſſertationis Diviſio.

NAM cum mihi liberum videretur in Quæſtione iſta difficili & lata, quem voluerim, ordinem ſequi, conſtitui illum adhibere, qui plurimum claritatis, & minimum repetitionum habet, quæ in his rebus vix ferri, & minus adhuc vitari queunt *e)*. His rationibus utens

 primo

d) Theocritus Idyll. 15. & 17.
e) Sic v. gr. Indica Commercia Arabicis

primo inquiro in illa omnia, quæ Ptolemæi Commerciorum Navigationumque caufa in Aegypto feciffe leguntur; fubjungo ftatim Sectionem de Indico Commercio & fatis ejus fub Ptolemæis; ubi generatim iterum multa de fortuna Commercii Aegyptiorum fub iftis Regibus occurrunt. Dein Aethiopica, Arabicaque Commercia perluftro. Incipio itaque ab illis Navigationibus, quæ per Mare Rubrum & Oceanum inftituebantur; Maris dein Mediterranei Commercia explicare adgredior. Sequuntur Sectionum iftarum appendices breves, & longior Enumeratio Mercium, quibus Aegyptus abundabat, quæ ultima neceffaria quidem erant, ita

& Aethiopicis, etfi propioribus, poftpofui; & quæ ejusmodi plura in hac fcriptione occurrent, ubi Geographicum ordinem ob rationes nunc citatas fepofui.

ita tamen, ut non ſine ratione illa ad finem rejeciſſe mihi videar.

Sectio I.

DE ILLIS QVAE PTOLEMAEI IN COMMERCIORVM NAVIGATIONVMQVE GRATIAM IN AEGYPTO PATRAVERE.

Alexandriæ Aedificatio.

Initium itaque faciamus ab omnibus illis, quæ Ptolemæi in gratiam Navigationum & Commerciorum patraſſe dicuntur; ut pateat, quibus Auctoribus, qua via modoque, quove tandem ſucceſſu illa inſtituta, auctaque fuerint.

Aedificatio Alexandriæ una mihi eſt ex iis circumſtantiis, quæ Aegyptiorum Commercio maxime fa-

vere *f*). Ea in regione olim erat Racotis & campi habitati bubuleis illuc ab Aegyptiis vetuſtioribus, Commercia ſpernentibus, propterea collocatis, ut extraneos inde vi pellerent; quo igitur loco peregrinos Aegyptii prohibuerunt, eundem Alexander poſtea illis patefecit, Urbemque ædificavit, quæ ſitu optimo, viis latiſſimis, foris & portubus magnificis inſtructa, aëre ſereniſſimo ſalubrique prædita, magna ſtatim hominum copia repleta, magnisque Commerciis apta fuit *g*). De qua Aegyptii Regni ſede ſolum excerpemus STRABONEM, qui de Commerciis, ut erat rerum civilium peritiſſimus, multo plura melioraque quam ceteri nobis reliquit,

f) Factum Ptolemæis anterius eſt, ſed intime connexum cum noſtra Quæſtione.

g) Conſulendus præcipue Clariſſ. Bonami: *Diſſertation ſur la Ville d'Alexandrie*, in *Mémoires de l'Acad. R. des Inſcript.* IX. 426.

liquit; ille vero ſic habet: *Certe Commoditates Urbs Alexandria h) habet non unius modo generis, duo Maria locum undique alluunt alterum à Septentrione, quod Aegyptium dicitur; alterum a Meridie, quod Mariae Lacus & Mareotis appellatur. Eum Nilus multis foſſis tum e ſuperioribus partibus, tum e lateribus actis, implet; per quas multo plura importantur, quam e mari, adeo ut portus, qui ad Lacum eſt, ditior ſit marino i).*

h) Strabo 1142. Hæc loca Strabonis illius reſpiciunt tempora, hinc iis, quæ de Italica Navigatione ſcribit nolumus inſiſtere; ſed illa attulimus in teſtimonium de commoditate Portuum, Lacuum, foſſarumque Nili, quæ omnia jam ſub primis Ptolemæis in hunc uſum fuiſſe adhibita nemo nobis negabit.

i) Strabo 1149. *Alexandria & externas merces, & quæ ab Aegypto veniunt, recipit.*

Videndus etiam Joſephus de Bello Jud. L. 2. 16. p. 190. T. 2. Havercampii.

Exportari ex Alexandria hac plura, quam ex Italia importari, facile fentiet, qui Alexandriæ & Puteolis fuerit, obfervaveritque onerarias naves & venientes & redeuntes, quanto graviores aut leviores ultro citroque navigent. Et idem alio loco *k*), *Urbis Alexandriæ ubertas hinc potiffimum eft, quod hic folus Aegypti locus ad utraque idoneus, & ad res maritimas propter portus commoditatem, & ad terreftres, quia omnia facile in hunc locum flumine deferuntur, ubi maximum totius Orbis eft emporium.*

De Pharo.

Alexandriæ jungenda eft Pharus, Turris maximæ altitudinis, quæ nomen ab Infula accepit. Aedificium iftud Nautis fidum perpetuumque exhibuit lumen ad difficilem iftum Aegypti introitum maxime neceffarium. Hoc

k) Strabo 1149.

Hoc opus effecit Sostratus Gnidius sub Ptolemæo Philadelpho testibus STRABONE *l*), PLINIO, LUCIANO, SUIDA, aliisque; quos longe anteponimus TZETZI, CEDRENO, ceterisque, qui illud Cleopatræ; & Arabibus, qui Magno tribuunt Alexandro; propterea in errorem inducti, quia Pharus Insula a superioribus Aegypti Regibus, i. e. prioribus Ptolemæis, teste CAESARE B. Civ. 3. per Heptastadium Alexandriæ quidem fuit juncta, sed non mole perpetua *m*); verum pontibus horum-

l) Strabo 1140. seq. Consulendi heic Viri Clariss. qui de Phari auctore, structura, utilitateque optime scripsere, *De Montfaucon* in *Mémoires de l'Acad. R. des Inscript.* VI. 576. *Sur le Phare d'Alexandrie.* Bonami Ibid. IX. 426. *Description de la Ville d'Alexandrie.* Et *D'Origny* in ingenioso elegantique opere, quod inscribitur *Egypte Ancienne.*

m) Hæc omnia optime expedivit, Ve-

que uno Pharo vicino, cum poftea Cleopatra everfis pontibus integrum opus abfolveret, atque continua mole, Heptaftadium Urbi jungeret, quod Recentiores ifti, omnia mifcentes, perperam cum Phariæ Turris exftructione confundunt.

De Foffa Regum, Nilum Mari Rubro jungente, & de aliis ejus Fluvii Canalibus.

Inter præcipua quoque opera, Commerciorum Navigationumque caufa fub Ptolemæis in Aegypto exftructa, numeranda eft Foffa, quæ Nilum cum Sinu Arabico junxit; fic, ut mediantibus hujus fluminis alveis & canalibus ex Mari Mediterraneo in Rubrum Mare, Oceanumque navigari poffet. De uti-

terumque locis illuftravit, utique heic confulendus Voffius ad Melam Lib.2. cap.7.

utilissimo isto opere sic scribit STRABO *n*): *Excisa autem est Fossa ab initio per Sesostrin, ante Trojana Bella, nonnulli eam a Psammiticho filio solum inchoatam putant, morte eum praeripiente. Postea Darium Primum in operis absolutionem successisse. Is opus poene absolutum deseruit; Falso enim erat persuasum Rubrum Mare Aegypto esse sublimius; ideoque, si intermedius Isthmus intercideretur, Aegyptum a mari obrutum iri o). Ptolemaici quidem Reges, eum incidentes, Euripum clausum fecerunt, ut, cum vellent, in exterius Mare navigarent, ac rursum sine impedimento reverterentur.*

DE eadem re multis loquuntur DIODORUS SICULUS, PLINIUS, alii-

n) Lib. 17. 1156. Et ibidem Commentatores.

o) Adeundus etiam *Fournier* in *Hydrographie.*

aliique ex vetuftis fcriptoribus *p)*, qui non in omnibus confentiunt; nam de Regibus, ante Ptolemæos huic operi manus inferentibus, diverfe admodum fcribunt, quæ vero nos non tangunt. STRABO operis iftius abfolutionem Ptolemaicis tribuit Regibus, confentit ipfi AELIANUS *q*), qui ait hanc Foffam vocari Πτολεμαιῶν Ποταμὸσ. Sed DIODORUS SICULUS *r*) afferit illam vocari *Ptolemæus*, ab uno Ptolemæo Philadelpho, cui hoc opus præcipue tribuit, affentiente quoque PLINIO, idque, ut videtur, jure meritoque.

Fos-

p) Diod. Sic. Weffelingii I. 39. & ejus loci Comment. Plinius Harduini VI. 29. Herodotus L.2. Ariftot. Meteor. I. Tzetzes Chiliad. 7. 1477.

q) Hift. Anim. XII. 29.

r) Diod. Sic. loc. cit. *Ptolemæus Secundus ultimam operi manum impofuit, & loco op-*

FOSSAE initium fuit in Phacusa ad Bubasticum Amnem *s*) ; exitus ad Arsinoën Urbem Maris Rubri. Tota autem hæc res nondum satis accurate descripta est, & requirit sedulum examen a Peregrinatore in ipsa Aegypto instituendum, ubi adhuc vestigia hujus operis supersunt. Omnia se heic expedivisse putat POCOCKIUS *t*), qui nobis descripsit Fossam Regum, & modum, quo Fossæ Trajani, Babylone incipienti, juncta, cum illa eundem habet exitum.

PRAETER hanc Fossam, quæ erat tantæ utilitatis, fuere & multa alia egregia ejusmodi opera, agricolis &

portunissimo septmentum quoddam transversarium machinatus est, quod transiturus aperuit.

s) Diod.Sic. ait initium esse Ἐπ' Πελȣσιακȣ̃ Στόματοσ; ubi Στόμα pro Alveo.

t) Pococke *Descr. of the East.* T. 1. 291.

& mercatoribus gratissima. Lacus plures Nilum servantes, distribuentesque. Canales totam regionem irriguam navigabilemque reddentes, de quibus dicere supersedeo, quia ista opera plerumque Ptolemæis antiquiora sunt, & vetustis illis sapientissimis Aegypti Regibus tribuenda, qui Agriculturam & internum Aegypti commercium curæ cordique habebant; neque vero horum Canalium descriptio omni caret difficultate, ob minus exactas Nili Tabulas.

EQUIDEM illud adhuc animadverto Ptolemæorum temporibus præcipue deberi Canales illos undique ad Mareotin Lacum ducentes & necessarios, ob Lacus istius cum Alexandria conjunctionem *u*). Ista ætate per Fossas Nili Alexandria Canopum tendebant,

u) Strabo ubique præsertim p. 1151.

bant, vitantes difficilem Maris Mediterranei navigationem, qua hodie utendum eſt.

De Via Copto Berenicen ducente.

Aliud opus Ptolemæorum itineribus Arabicis, Aethiopicis, Indicisque utiliſſimum erat Via illa a Copto ad Mare Rubrum usque perducta *x*); de qua breviter ita ſcribit Solinus *y*): *Di-*

x) Strabo 1179. & Plinius L.V. Juxta iſtos Auctores Coptus erat Emporium commune Mercium, Aegyptiarum, Arabicarum, Aethiopicarum, & Indicarum.

y) Cap. 54. Ibid. Salmaſius. Conf. Plinius VI. 23. Antoninus in Itin. & Peuting. Tab. qui omnes hoc iter late deſcribunt, notantque Hydrea, vel Hydreumata, ſeu Aquationes, in his itineribus maxime neceſſarias. Plinius loc. cit. ait Berenicen portu gaudere, contrarium ſcribit Strabo loco mox citando, ſed Plinius vicinum Muris intelligit Portum.

Dicendum hoc loco, quatenus ab Alexandria Aegypti pergatur in usque Indiam. Nilo vehente Coptum usque Etesiis flatibus cursus est, deinde terrestre iter Hydreum tenus, post transactis aliquot mansionibus Berenicen pervenitur, ubi Rubri Maris Portus est.

EXHIBEBIMUS nunc occasionem utilitatemque hujus operis a Ptolemæo Philadelpho confecti, quæ omnia optime prodidit STRABO z) brevibus Commentariis a nobis illustrandus: *Deinceps*, ait ille, *sunt ea, quæ Typhonia vocantur & Fossa, quæ Coptum defert, communem Aegyptiorum & Arabum Urbem. Deinde est Isthmus in Rubrum Mare porrectus juxta Berenicen Urbem a), quæ*

z) Lib. XVII. 1169.

a) Berenicen Urbem Ptolemæus Philadelphus Commerciis favens condidit, & matris suæ nomine insignivit; de Urbe a Pto-

quæ quanquam ſine portu eſt, tamen ob opportunitatem Iſthmi idonea diverſoria habet. Dicunt Philadelphum primo hanc viam exercitu aperuiſſe, cum aquis ea careret, ac diverſoria conſtituiſſe, tam pedibus iter agentibus, quam Camelis b). Idque effeciſſe, quoniam Rubrum Mare difficulter navigaretur, præcipue ex intimo receſſu. Enimvero experientia utilitatem maximam demonſtravit, atque nunc omnes Indicæ Arabicæque merces, & Aethiopicæ

K *etiam,*

lem. Philad. ædificata teſtis eſt Steph. Byzantinus in hac Voce.

b) Plinius VI. 23. *A Copto Camelis itur.* Ob horum velocitatem, in ferendo ſtrenuitatem, & præcipue ob ſitis patientiam, in deſertis non aliis jumentis, quam Camelis Negotiatores uti queunt.

In Maris Rubri extremitatibus ob Syrtes & Scopulos non ſine periculo navigatur.

etiam, quæ Arabicum Sinum advehuntur, Coptum deferuntur, iſtarum mercium emporium. A Copto quoque non multum abeſt Apollinis Civitas, quare duæ urbes Iſthmum terminantes utrinque ſunt, ſed Coptus & Muris Statio nunc excellunt, iisque omnes utuntur. Initio Camelis vecti per noctem iter agebant aſtra obſervantes quemadmodum nautæ, & aquam ſecum portabant, nunc terra in profundum effoſſa, aquarum copiam paraverunt, & pluviis, quanquam raræ ſint, Ciſternas fecerunt. Iter eſt ſex, ſeptemve dierum c).

De Navibus Ptolemæorum.

DE Navibus Aegyptiorum nobis etiam agendum videtur, tum de illis, quæ

c) Plinius VI. 23. *Quia major pars itineris conficitur noctibus propter æſtus, & ſtativis diebus abſumuntur, totum a Copto Berenicen iter duodecimo conficitur die.*

quæ Commerciis Navigationibusque favebant, tum vero & de Bellicis, hæc enim duo indivulſo nexu conjuncta eſſe videntur. Quo plures Naves Negotiatorum eo plures remiges, quo amplius Commercium eo major poteſtas maritima,& verſa vice. Habebant autem Aegyptii Ptolemæorum temporibus pro variis uſibus diverſas naves, alias pro Nilo, alias pro Rubro Mediterraneoque Mari. In Nilo, qui uſque ad Catarractas totus navigabilis, ut & in variis ejus alveis, habebant rates e coriis, Naves Papyraceas *d*); ſœpe majora navigia cubiculata domubus quaſi integris inſtructa, quæ Thalamægos vocabant, & quorum ſemper in Nilo maxima erat co-

d) De Navibus Papyraceis ex Scriptoribus Sacris & Profanis, conſuli poſſunt Illuſtr. Comes *De Cailus* in Diſſ. de Papyro; & Olaus Celſius Hierobot. 2. 137.

pia *e*). De quibus omnibus optime & solidiffime, ex Antiquitatis Monumentis, ex Veterum Scriptis, & ex recentiorum Peregrinatorum Obfervationibus, egit Clar. BARTHELEMI *f*).

IN Mari autem, & præcipue in Mediterraneo, Ptolemæis Claffes fuerunt inftructiffimæ *g*). Philadelphus, magnus ille Commerciorum promotor, Navium habuit fummum numerum, quo Commercia fua fovebat, gentes fibi fubditas regebat, fœderatos tuebatur; alios, prout res poftulabat, bellis diffidiisque

e) Appianus in Præfat.

f) *Explication de la Mofaique de Paleftrine* p. 32. 33. 34. ubi Vir Clariff. probat Niloticas Naves cum Sinenfibus affinitatem haud levem habuiffe.

g) *Hiftoire Generale de la Marine.* Paris 1744.

Effay fur la Marine des Anciens par M. Deslandes. Paris 1748.

diisque implicabat. De eo ſic THEOCRITUS Idyll. XVII.

- - - *Naves illi optimæ*
Per Mare navigant, mare enim totum, & terra,
Et Fluvii ſonori, regno Ptolemæi ſubjecti ſunt.

ET ATHENAEUS *h*): Philadelphus - - *navium profecto multitudine ſuperavit omnes i). Ampliſſimæ apud eum fuerunt ordinum triginta, duæ; ordinum viginti, una; quatuordecim ordinum,*

h) Lib. V. 203.

i) Aegyptus lignorum penuria premebatur, ſed dabant ligna ad Naves vicinæ Inſulæ, nonnunquam Libanus, & Montes illius regionis, quorum arbores hanc in rem noti; ſic de Pinu ex Libano pro navibus ædificandis ſæpe in Sacris Litteris mentio occurrit, ubi errare videntur, etſi res nondum penitus confecta ſit, illi, qui vertunt Cedros Libani.

Ad Vela autem Navium Aegyptii præter Papyracea, habebant telas optimas,

num, quatuor; Duæ ordinum, duodecim; undecim ordinum, quatuordecim; novem ordinum, triginta; feptem ordinum feptem & triginta; fex ordinum, quinque; feptendecim quinqueremes; quadriremes, triremes, & hemioliæ duplo plures. Navigia vero, quæ ad Infulas dimittebantur, fuæque ditionis Urbes, plura quam quatuor millia fuere.

Hunc fecutus Ptolemæus Evergetes expeditiones fuas vaftas maxima claffe peregit, quod de eo Monumentum Adulitanum teftatur.

Ptolemaeus poftea Philopator duas naves conftruxiffe legitur, quæ, cum oftentationi potius quam ufui infer-

quas etiam aliquando vicinis præbebant. Habebant & operarios optimos nauticæ artis valde peritos. In Navigationibus fuis obfervabant Ventos annuos, quos optime dijudicabant, & Urfam Magnam, Græco enim more navigantes minorem, etfi commodiorem, videntur Phœnicibus reliquiffe.

inſervirent, omnium ad ſe oculos converterunt *k*). Primum erat Navigium ordinum quadraginta. Alterum Thalamegon pro Nilotica navigatione, cujus longitudo fuit dimidii ſtadii, latitudo major quam triginta, altitudo parum a quadraginta cubitis aberat.

Epiphanes dein Romanis obtulit, ut Claſſem, qualem vellent, a ſe peterent *l*).

Et ſic per ſingula, ſi vacaret, eundo, probari poſſet Ptolemæos uſque ad ultima Regni ſui tempora ſemper vim maritimam non exiguam habuiſſe, nunquam tamen recentiorum temporibus talem, qualis fuit ſub Philadelpho & Evergete, quibus imperantibus etiam multo maximum commercium *m*).

k) Athenæus Caſauboni V. 203. 204.

l) Polybii Legationes 17.

m) Præcipue videndus Appianus in Præf.

SECTIO II.

DE COMMERCIIS ET NAVIGATIONIBUS PTOLEMAEORUM, ET PRIMO QUIDEM DE IIS, QUAE IN MARI RUBRO ET OCEANO EXERCEBANTUR.

Status & Fortuna varia Commercii Indici sub Ptolemæis.

HAEC de iis, quæ Ptolemæi in gratiam Navigationum Commerciorumque præſtitere, generatim dicta ſufficiant; nunc vero ſingularibus ſectionibus præcipua Quæſtionis propoſitæ momenta perpendam, initium faciendo a Commerciis Regum iſtorum per Mare Rubrum & Oceanum inſtitutis,

tis, & quidem primo loco de illo, quod cum India exercuere; ubi non, ut vulgo fit, ratiociniis, ſed Veterum ſolis utar teſtimoniis. Sic itaque hac de re loquitur STRABO *n*): *Quin & in Arabiam Felicem Romani jam cum exercitu profecti ſunt, ductore Aelio Gallo, amico ac ſodali noſtro; & Alexandrinorum mercatorum claſſis per Nilum jam navigans, & Arabicum Sinum uſque ad Indiam, multo iſta nobis, quam olim, notiora reddidit. Quo tempore Gallus Aegypto præfuit,*

n) Lib. 2. pag. 179. Philoſtratus L. III. cap. XI. V. Apoll. T. ait fuiſſe aliquando Pactum inter Aegyptios & Regem, Maris Indici dominum, ne plus una navi oneraria in Mari Rubro Aegyptii uterentur, tunc illos navigium feciſſe maximum, quod multorum vicem ſuſtinuit. Sed de tempore, & de Rege, nil definit; quod ſi faceret forte fidem non inveniret; interim videndus Idem, Lib. VI. cap. 8.

fuit, ad ipfum veni, unaque ufque ad Syenem & fines Aethiopiæ afcendi, ibique comperi centum & viginti Naves a Muris Portu Indiam verfus navigare, cum fub Ptolemæis Regibus perpauci auderent navigare, & merces Indicas advehere.

IDEM alio loco o) de Reditu Aegypti fub Ptolemæo Aulete loquens hæc addit: *Ubi vero is,* (Auletes) *qui peffime ac fegniffime Regnum adminiftrabat, tantum in reditibus habuit, quid cenfendum putas de præfentibus, quæ tanta diligentia a Romanis geruntur, Indicis & Troglodyticis negotiationibus in tantum auctis p). Superiore fane tempore* ne

o) Lib. XVII. 1149.

p) In Græco eft: *καὶ τῶν Ἰνδικῶν ἐμπορειῶν, καὶ τῶν Τρωγλοδυτικῶν ἐπηυξημένων ἐπὶ τοσοῦτον;* quod Interpres contra Grammatices artem, contra connexionem, & ipfam veritatem transfert: *Indicis etiam Troglodyticis negotia-*

ne viginti quidem navigia in Arabicum Sinum tranſire audebant, ut extra fauces proras proſpicerent, nunc maximas Claſſes uſque in Indiam & extrema Aethiopiæ tranſmittunt, unde pretioſiſſimæ merces in Aegyptum advehuntur; ac rurſum in alia exportantur loca ex Aegypto, ut duplicia hinc vectigalia exigantur; unum rerum, quæ importantur, alterum earum, quæ exportantur. Ceterum pretioſarum mercium gravia ſunt ibidem vectigalia, cum & monopolia ibi ſint; nam ſola fere Alexandria, & recipit iſtas merces & foras emittit.

IN his STRABO deſcribit Statum Navigationis & Commercii Indici, quod ſua ætate longe magis excultum fuiſſe

tionibus adjectis. Quam Verſionem ſequitur Huetius *Hiſtoire du Commerce des Anciens* pag. 347.

De Troglodyticis Negotiationibus, Ptolemæis cognitis, alio loco dicetur.

fuiffe afferit, quam fuperioribus temporibus. Certum vero eft STRABONEM heic in genere omnia Ptolemæorum tempora refpicere, nil tamen vetat, quominus ftatuamus Navigationes & Commercia Indica, quæ fub Ptolemæis non tanta fuere, quanta fub Romanis, variam fortunam habuiffe Ptolemæis Aegypti regnum tenentibus, fic ut aliquando plus aliquando minus floruerint; de ifta vero obfcuriffima re, in qua unum ex præcipuis iftius Quæftionis momentis fitum videtur, nunc dicendum arbitror.

TYRO itaque, quæ ex Sinu Elanitico Indiam verfus tendere confueverat, deftructa, & Alexandria in ejus locum fubvecta, ut Orientem Occidenti per commercia jungeret, omnia Ptolemæos ad Indicas Navigationes invitare videbantur, quæ illorum temporibus

eo

eo faciliora, quo notiora tutioraque itinera ob victorias navigationesque Alexandri, & ob Urbes Coloniasque ab illo in India conditas.

Quae cum ita essent Ptolemæus Philadelphus q), civilium artium longe peritissimus, Indicas Navigationes maxima cura exercuit. Hunc in finem Dionysium, virum doctissimum, misit, ut postquam apud Indorum Reges moratus esset, itinera gentiumque vires proderet r). Vidimus illum hujus rei gratia plurima exstruxisse opera Commerciis utilissima, Pharum; Fossam, quæ Mare Rubrum Mediterraneo per Ni-

q) Cum Indiæ Commercium ceteris præmiserim, accidit, ut hoc loco de Philadelphi Evergetisque cura circa Commercia, & de posteriorum Regum negligentia plura disseruerim, quæ non de sola India, sed generatim intelligenda sunt.

r) Plinius Hist. Nat. VI. c. 17.

Nilum jungeret; & præcipue Ifthmum a Copto Berenicen tendentem, quo mediante Indicæ Aethiopicæque merces, quas naufragii fere fecurus ibi quærebat, per Mediterraneum Mare Occidenti vendebantur. Vidimus eum Claffem quoque habuiffe maximam, ut & Negotiatores tueretur, & imperii fui mercaturæque invidis terrorem incuteret *s*). Videbimus infra his omnibus factum effe, ut Philadelphus divitias fibi fummas acquifiverit.

Hoc Orientis Commercium fub ejus filio Ptolemæo Evergete adhuc eodem modo viguiffe mihi facile perfuadeo, qui Claffem etiam habuit inftructiffimam, & quamvis is Rex bellis fuerit implicitus id Commerciis vix damnum

s) Ifta Claffis erat pro Commercio Occidentis, fed fine illo Orientis Occidentale nullum fuiffet.

damnum potuit inferre, quia Aegyptii tum, ut faciunt gentes mercaturæ deditæ, non cum ſuis, ſed cum mercenariis copiis bellum geſſere.

In hoc Rege, quod Lagidarum virtutis ſupererat fere exſtinctum eſt *t*); ſic, ut veroſimile nobis ſit ſubſequentes Reges aliis deditos paulatim Orientis Commercia negligentius tractaſſe, non quod credamus ea ceſſaviſſe, cum luxus & avaritia illa æque neceſſaria redderent, ſed minori cum ſucceſſu illa frequentata fuiſſe ſtatuimus, & quod ſolum hac de re ſupereſt teſtimonium Posidonii apud Strabonem nunc penitius inſpiciamus; ille autem ſic habet *u*): Poſidonius *Eudoxum quendam*

t) Strabo 1146: *Omnes poſt tertium Ptolemæum male regnum geſſerunt, luxu perditi, omnium vero peſſime quartus, & ſeptimus, & ultimus Auletes.*

u) Strabo L. 2. 155. Longum quidem eſt

dam Cyzicenum - - in Aegyptum venisse narrat, quo tempore Evergetes secundus

intervallum a Ptolemæo Everg. I. ad Secundum, sed tacentibus Veteribus nos nil affirmare possumus.

Apud eundem Strabonem, ut & apud Plinium 2. 67. de hoc Eudoxo legitur illum, cum Lathyrum Regem fugeret, Arabico Sinu egressum Gades usque profectum; ex qua narratione Vossius ad Melam L. III. 9. p. 303. concludit iis, quæ de Eudoxo affirmantur, fidem esse denegandam. Vossii verba hæc sunt: *Certum est Veterum neminem fuisse, cujus quidem exstet memoria, qui Bonæ Spei Promontorium vel accesserit, nedum prætervectus sit.* Aliter sensit Summus *De Montesquieu* qui L. 21. ait: *On trouve dans l'Histoire, qu'avant la decouverte de la Boussole on tenta quatre fois de faire le Tour d'Afrique; Des Pheniciens envoiés par Necho, Eudoxe fuiant la colère de Ptolemée Lathyre, réussirent. Sataspe sous Xerxes, & Hannon, qui fut envoié par les Carthaginois sortirent des Colonnes d'Hercule & ne réussirent pas.* &c.

cundus regnum tenuit - - forte tum a Custodibus Arabici Sinus Indum quendam ad Regem fuisse allatum, dicentibus eum semimortuum ab ipsis inventum fuisse, in navi solum deprehensum, neque se scire quis aut cujas esset, quod sermonem ejus non intelligerent. Eum a Rege mandatum iis, qui eum Græcam Linguam docerent, hac percepta hominem narrasse ex India se navigantem recto cursu excidisse, atque huc evasisse sociis fame amissis, simulque pollicitum se navigationis ad Indos monstratorem fore iis, quibus eam rem Rex demandaret, quos inter & Eudoxus fuerit. Hunc ad Indos cum donis navigasse, & eorum loco reportasse Aromata, ac Lapides Pretiosos, quorum alios fluvii cum scrupis devehunt, alii effodiuntur generati ex humore, ut apud nos Crystalli. Ceterum Eudoxum sua fuisse spe falsum, Evergete quidquid navi advexerat adimente. Mortuo Evergete uxorem ejus Cleo-

 patram

patram regnum tenuisse, rursumque ab hac missum Eudoxum majore cum apparatu ventis supra Aethiopiam fuisse delatum, ubi cum ad quædam loca adpulisset, animos incolentium sibi conciliasse frumenti, vini, & caricarum largitione, quibus illi carebant; ab iisque contra aquam & navigationis duces accepisse, & vocabula quædam descripsisse - - salvumque in Aegyptum rediisse, filio jam Cleopatræ suffecto in regnum, denuo omnibus spoliatum fuisse, comperto multa illum intervertisse.

Si vera esset ista narratio tum utique ex his efficeretur Commercium Indicum temporibus, de quibus heic sermo est, penitus fuisse neglectum; sed factum, cujus mentionem nunc fecimus, non omnem habet veri speciem, sic ut ipse Strabo plurimas easque, ut videtur, graves rationes afferat isti

Po-

Posidonio fidem denegandi *x*). Sufficiat illam allegaſſe, quæ nos proxime ſpectat, cum ait *y*): *Unde Evergetæ iſta hujusmodi ductorum navis penuria, Mari iſto multis jam noto.* Præferimus itaque auctoritatem Strabonis Posidonio, quamvis nolimus negare eſſe etiam, quæ pro poſteriore faciant; illum enim Strabo æque mendacem ac Pytheam eſſe ſcribit, jam vero conſtat temere doctiſſimo iſti viro litem a Strabone motam fuiſſe.

Ex quibus omnibus colligimus Posidonium, auctorem non incelebrem, hanc hiſtoriam vulgare nunquam auſum fuiſſe, niſi revera Everge-

L 2 tæ

x) Poſidonius iſte Apameenſis a nativitate, a loco, quo degit, Rhodius dictus, Philoſophus & Hiſtoricus celebris, de quo præ ceteris legendus J. Meurſius Rhodi l. 2.

y) Pag. 159.

tæ Secundi temporibus Commercia Indica valde fuiſſent neglecta, quamvis illa penitus non exculta fuiſſe negemus.

Haec erant Indici Commercii Fata apud Aegyptios, magnus ejus ſplendor ſub Philadelpho, deinde per vices minor; donec, Romanis Aegypti regnum tenentibus, hoc Commercium multo quam antea auctius, ita ut quotannis Claſſes mercatorum maximæ in Indiam navigarent, quæ ſummo cum lucro adferebant merces illius regionis luxui Romanorum ejus ætatis maxime expetitas.

Quouſque ſub Ptolemæis in Indiam navigatum, & cum quibus Gentibus Commercia inſtituta.

Heic quoque diſquirendum videtur, quibus itineribus & quouſque ex Aegy-

Aegypto in Indiam ſub Ptolemæis commercii cauſa navigatum fuerit, ubi Plinium ſequi lubet additis brevibus ſed ſolidiſſimis obſervationibus, quas in hanc rem conſcripſit Summus de Montesquieu, & noſtris quoque commentariis ad ea, quæ Ptolemæorum ætati in his videntur propria z).

Postquam itaque Plinius a) de Itineribus Alexandri & Præfectorum illius, quibus India patefacta eſt, ſermonem inſtituiſſet, ita pergit: *Sic Alexandri Claſſis navigavit ; poſtea a Syagro Promontorio Patalen Favonio, quem Hippalum ibi vocant, peti certiſſimum videbatur XIII. XXXII. Mill. Paſſ. æſtimatione.*

L 3 Ex

z) *Eſprit des Loix* L. 21. p. 296. ſeq. Edit. Amſtelod. 1758.

a) Lib. VI. 23.

Ex quibus intelligitur primam navigationem fucceſſorum Alexandri fuiſſe a Syagro Patalen, Urbem Inſulæ cognominis ad Indi oſtia, in qua Favonio utebantur, erant enim in Navigationibus ſuis Ventorum optimi obſervatores *b*).

Pergit Plinius: *Secuta ætas propiorem curſum tutioremque indicavit, ſi ab eodem Promontorio Zigerum Portum Indiæ peterent; diuque ita navigatum eſt, donec compendia invenit mercator, lucroque India admota eſt c*).

Ad

b) Adhuc hodie his ventis utentes Indi pyxidem nauticam vix adhibent.

c) Clar. *De Monteſquieu* loc. cit. p. 296. *Pline ne peut dire, que ce chemin fut plus court, que parce qu'on le faiſoit en moins de tems, car Siger devoit être plus reculé.*

Addendum heic, quod infra probabitur, antiquum eſſe Commercium Taprobanæ

Ad quosnam Ptolemæorum voces *secuta ætas* referendæ sint, aliquo modo incertum est, sed cum sciamus Philadelphum omni cura Commerciis Indicis incubuisse, illius temporibus hæc adscribemus. Illa autem verba, *Diuque ita navigatum; & donec lucro India admota*, referimus ad tempora Romanorum, ita ut ultimam istius itineris descriptionem, mox exhibendam, Romanis demum, aut saltem paulum ante Aegyptum in Provinciam redactam, in usu fuisse statuamus *d*).

L 4 Si-

cum Indiæ vicinis Portubus ab Aegyptiis frequentatis.

d) Romanorum temporibus Alexandrini ex Aegypto Puteolos tendentes, plerumque etiam recto cursu, minimeque littora legendo in Italiam navigarunt. De qua re, ut testimonio Peritiæ illorum Nauticæ, longo usu sub Ptolemæis aquisitæ, testis est Philo Jud. pag. 968. & 1028. Edit. Francof. & multis et-

SIGERIS vero Promontorium ubinam fit definire non audeo. In fubfidium utique vocandus STRABO *e*), qui ait Reges Bactrianorum, a Syris fecedentes, plures Regiones Indiæ fubegiffe Alexandro Magno ignotas, illofqne non modo *Pattalenam*, fed & reliquam oram maritimam & quod *Teffariofti* vocatur, ac *Sigeritidis Regnum* tenuiffe; ulterius ergo ad Meridiem hic locus quærendus eft, & propius ad Malabaricas oras.

PERGIT PLINIUS *f*): *Quippe omnibus annis navigatur, Sagittariorum Co-*

iam Hafæus in Differt. de Navibus Alexandrinis.

e) Lib. XI. 786. Et idem XV. 1006. Vbi Apollodori fententiam, de Bactrianis in India plura, quam Alexander & Seleucus, cognofcentibus, fruftra videtur in dubium vocare.

f) Ex omnibus quidem patet hanc effe

Cohortibus impofitis, etenim Piratæ maxime infeftant. Nec pigebit totum curfum ab Aegypto exponere, nunc primum certa notitia patefcente. Digna res nullo anno minus H S. quingentis imperii noftri exhauriente India, & merces mittente, quæ apud nos centuplicato veneant. Addit jam iter ab Alexandria Berenicen, dein hæc fubjungit: *Navigare incipiunt æftate media ante Canis ortum, aut ab exortu protinus, veniuntque circiter trigefimo die Ocelin Arabiæ, aut Canem Thuriferæ Regionis g). Eft & tertius Por-*

L 5 *tus,*

Romanorum Navigationem, nos vero illam exhibemus, ut Indici Commercii vices & augmenta cognofcantur, ut & ob plures ejus rei circumftantias notatu dignas, quas Plinius heic recenfet.

g) Ulterius hac de re agemus in Sectione de Commercio Felicis Arabiæ.

Neque omittendus locus Auctoris Peripli Maris Erythr. pag. 32. qui Navigationi

tus, qui vocatur Muza, quem Indica Navigatio non petit, nec nisi Thuris Odorumque Arabicorum mercatores - - Indos autem petentibus utilissimum est ab Oceli egredi; inde Vento Hippalo navigant diebus quadraginta ad primum Emporium Indiæ, Muzirin, non expetendum propter vicinos Piratas, qui obtinent locum nomine Nitrias; neque est abundans mercibus; præterea longe a terra abest navium statio; lintribusque afferuntur onera & regeruntur - - Alius utilior Portus gentis Necanidon, qui vocatur Barace,

Indicæ aliquam affert lucem, ille vero ita loquitur: *Universum commemoratum navigationis cursum atque orbem a Cana & Arabia Felice olim parvis navigiis ipsos sinus ambientes conficiebant. Primus Hippalus gubernator, animadverso situ emporiorum ac Maris figura, invenit navigationem per altum Mare, eo tempopore, quo spirantibus ex Oceano apud nos Etesiis, Libonotus in Indico Pelago existit.*

race, longe ab Emporio Mediterranei diſtante oppido, quod vocatur Moduſa. Regio autem, ex qua Piper monoxylis lintribus Baracen convehunt, vocatur Cottonora, quæ omnia gentium, portuumve, aut oppidorum nomina apud neminem priorum reperiuntur. Quo apparet mutari locorum ſtatus h). Ex India renavigant Menſe Aegyptio Tybi incipiente, noſtro Decembri, aut utique Mechiris Aegyptii intra diem ſextum, quod ſit intra Id. Ian. noſtras; ita evenit ut eodem anno remeent i). Navigant autem ex India Vento Vulturno, & cum intravere Rubrum Mare Africo vel Auſtro.

HA-

h) Teſtimonium clariſſimum de mutatis Indiæ Emporiis ſub Ptolemæis & Romanis.

i) Loca Veterum & Recentiorum de tempore hujus Navigationis & annuis illarum regionum ventis, contulit, ſibique congrua obſervavit Clar. *De Montesquieu* loc. cit.

HACTENUS PLINIUS, ex quo ultimum iftud iter, Romanis ufitatum, pro more exfcripfit SOLINUS, quod etiam multis perfequutus eft doctus, fed incognitus Auctor Peripli Maris Erythrei *k*).

PA-

k) Loca Solini hac de re agentia optime explicavit Magnus Salmafius.

Periplum Maris Erythrei fœpe in fubfidium voco, utorque editione Dodwelli T. I. Geogr. Min. Oxon. 1698. Arriano hoc opufculum a nonnullis tribuitur, abjudicatur ab aliis, res adhuc incerta eft. Salmafius atque Voffius Arriano hunc librum faciunt antiquiorem, nunc Augufto, nunc Plinio majori coævum ftatuentes. Dodwellus magno cum eruditionis apparatu Arriano facit juniorem, & tribuit temporibus Marci ac Veri Imperatorum. Utraque fententia habet argumentorum pondera, neutra talia, quæ rem extra controverfiam collocent. Ex Alexandrinis, five fcriptis five hominibus, hunc Auctorem pleraque haufiffe, nemini dubium effe poteft,

PATET autem ex his omnibus primas Ptolemæorum navigationes in Indiam factas fuisse legendo littora ac ascendendo ad oras Arabiæ, iterumque inde ad meridiem descendendo, unde tum aut cum paucioribus tantum Indiæ gentibus commercia exercebant, aut longiori temporis spatio illis opus fuit, si ad emporia meridiei propiora pervenire voluerunt. Postea Ptolemæi, uti deinceps Romani, annuis illarum regionum ventis, veluti pixide quadam nautica utentes, sese alto magis commisere, ut recto cursu ab Arabiæ primis oris ad illa tenderent Emporia, quæ sese a *Guzarat* usque ad Malabaricas oras extendunt.

Ex

qui libellum istum, Mercaturam Veterum egregie illustrantem, attente perleget. Conferendus etiam de hoc Auctore Clar. *D'Anville* in *Eclaircissemens Geographiques sur la Carte de l'Inde* p. 44.

Ex his porro apparet illos femper minori tempore navigationem abfolviffe perfectioremque reddidiffe. Et, cum tandem quotannis redirent, vulgo fub Ptolemæis non ultra Malabaricas oras videntur navigaffe, neque circumiiffe Promontorium *Comorin* & oras *Coromandel.* Illos non longe ad Orientem perrexiffe teftis mihi etiam eft STRABO, qui ait *l*): *Porro mercatorum, qui hodie ex Aegypto per Nilum & Arabicum Sinum navigant pauci etiam ufque ad Gangem perveniunt.* Si STRABONIS tempore id raro factum eft, multo adhuc id infrequentius fub Ptolemæis accidiffe videtur, etfi non ignorem Seleuci Nicatoris itinera Gangeticum Sinum cognitum reddidiffe *m*).

SI

l) Lib. XV. 106.

m) Nullibi melius adjicere poffum optimam notam Clar. *De Montesquieu* l. c. p. 262. *Seleucus Nicator penetra jusqu'au Gange, &*

Si itaque Ptolemæorum Indica Commercia cum noſtris conferamus, videmus eos cum paucis admodum gentibus illa exercuiſſe, ſive quia revera paucas cognovere, ſive quia hæc Navigatio ad Malabaricas oras neque ulterius pergens, illis omnium videbatur utiliſſima. Huc eos ducebat ſtatus navigationis eo tempore, quo nautica Pixis ignorabatur; huc eos invitabant, Indi, qui merces ex regionibus longius diſſitis ad propiores iſtas oras contulere, ubi Aegyptii eas, annuatim quæſitas, Alexandriam ſecure deportabant. De Indis ex regionibus diſſitis merces ad Emporia Aegyptiorum conferentibus teſtem habeo STRABO-

NEM

parlà on decouvrit la Mer où ce fleuve ſe jette, c. a. d. le Golfe de Bengale. Auiourdhui on decouvre les terres par les voiages de Mer, autrefois on decouvroit les Mers par la conquête des Terres.

NEM *n*), qui inquit: *Pro certo creditum eſt hanc magnam Inſulam*, Taprobanen, *in alto verſus meridiem ante Indiam jacere - - ex eaque in Indorum Emporia importari multum Eboris, Teſtudinum, aliasque merces.* Qua arrepta occaſione de Commercio Ptolemæorum cum Inſula iſta eo libentius agam, quod hanc materiam, ad rem noſtram maxime facientem, præterierit Summus DE MONTESQUIEU, cujus veſtigia heic potiſſimum ſecutus fui. Placet itaque Taprobanem Veterum eſſe Inſulam *Ceylan o*); de qua excerpemus illa ex PLINIO, quæ Commerciis Ptolemæorum

n) Lib. 2. 124.

o) Alii perperam collocant in *Sumatra.* Optime de hac Inſula Voſſius ad P. Melam 3. 7. & Clar. *D'Anville* pag. 108. *Eclairciſſemens Geographiques ſur la Carte de l'Inde.* Ubi Veterum ſtationes Indiæ cum maxima ſoliditate declarantur.

rum illuftrandis infervire poterunt. Is autem fic habet *p*): *Ut liqueat Infulam effe Alexandri Magni ætas refque præftitere. Onefícritus, Claffis ejus Præfectus, Elephantos ibi majores bellicofioresque, quam in India gigni fcripfit. Megafthenes q) flumine dividi Eratofthenes, & menfuram prodidit Longitud. VII. M. Stad. Latitud. V. M. nec Urbes effe, fed vicos feptingentos. Incipit ab Eoo Mari, inter Ortum Occafumque Solis Indiæ prætenta, & quondam credita viginti dierum navigatione r) a Prafiana gente diftare, mox, quia Papyraceis navibus armamentisque*

M *Ni-*

p) Lib. VI. 22.

q) De Megafthene, item Onefícrito, & Nearcho, Alexandri Magni Claffis Præfectis, legi poffunt Arrianus in Indicis, Plinius & Strabo.

r) Hæc de Ptolemæorum temporibus intelligenda funt.

Nili peteretur, ad noſtrarum navium curſus ſeptem dierum intervallo taxato s).

Ex his conficitur Taprobanen Alexandri Magni itineribus cognitam poſtea Eratoſtheni, qui ſub Tertio Ptolemæo floruit, & ad Quintum uſque vixit, adhuc notiorem redditam fuiſſe, illis Commerciis, quæ tum Aegyptii, ſemper magis ad meridiem tendentes, in India exercuere. Quod vero de Navibus Papyraceis, tum temporis illuc euntibus, apud PLINIUM legimus, illud ſevere carpit SALMASIUS dicendo t): *Profecto quantum magisque cogito, tum illud mihi mirandum maxime de Plinio videtur eum credidiſſe Naves Pa-*

s) Obſcure loquentem Plinium clarius explicat Solinus 53. dicendo: *Dierum viginti primo in eam fuit curſus, ſed hoc cum Papyraceis & Nili navibus eo pergeretur, mox navibus noſtris ſeptem dierum iter factum.*

t) Pag. 1116. Edit. Pariſ. 1629.

Papyraceas Nili ad Indos usque extremos proficisci solitas, priusquam Romani navibus suis illo contendissent. De Armamentis Nili, h. e. funibus id minus mirum; nam Aegyptii ac Syriæ Reges diu non aliis funibus usi sunt in rebus navalibus, quam ex libro Papyri textis - - Armamenta sunt funes &c. u).

Mihi autem non videtur a vero alienum ex hoc loco concludere Aegyptios quosdam & Indos in Emporiis ejus regionis commerciis viventes Papyraceis navibus ex illis Emporiis Taprobanen petiisse, indeque merces, ut dixerat antea Strabo, retulisse, quia raro sub Ptolemæis ipsæ majores naves Indiam petentes illuc tendebant, sed

u) Plinio, quem semper omnes reprehendunt, nonnisi maximopere coactus, fidem abjudico. De Papyraceis Navibus res est ex sacris profanisque Scriptoribus notissima, de qua etiam alio loco breviter egi.

minores tantum inde missæ. Hæc dein Insula cum Romanis Commercio juncta illorum divitias appetere, luxumque sequi cœpit, quod memoriæ prodidit PLINIUS cum multis aliis de Taprobane, nobis non tangendis, cum ultra proposita descendant tempora.

Ex his itaque constat Insulam Taprobanen in Fora illa rerum venalium, quæ Aegyptii circa oras Malabaricas habebant, merces misisse. Ulterius propterea adhuc dicendum de Seribus *x*), quia illi magno Commercio directo cum Taprobanensibus, hinc & indirecto

x) Seres Chinæ parvam partem, & præcipue *Thibeti* regionem occupabant, de qua re, ut & de pluribus aliis huc pertinentibus, avide exspectamus D'Anvilii Summi Geographi, scripta singularia Illustr. Acad. Reg. Inscript. ante paucos annos tradita, ut & Opus illius de Orbe Veteribus cognito.

directo cum Aegyptiis, juncti fuere; id enim, quamvis Recentioribus vix obſervatum, notatu tamen perdignum eſt, Aegyptios tantum cum gentibus Indiæ ſibi vicinis commercia exercuiſſe, has autem præter merces ſuas etiam alias e regionibus longe diſſitis aquiſiviſſe, Aegyptiisque vendidiſſe. Sic itaque de Seribus PLINIUS y): *Ultra montes Emodos Seras quoque ab ipſis*, Taprobanenſibus, *aſpici notos etiam commercio. Patrem Rachiæ commeaſſe eo, advenis ſibi Seras occurſare. Fluminis ulteriore ripa merces poſitas juxta venalia tolli ab his, ſi placeat permutatio.*

HUNC locum plurimi Recentiorum perperam intellexere, ſenſus latet in iis a Taprobanenſibus Seras *aſpici* & illis *occurſare*, quod propterea notatur,

M 3 quia

y) VI. 22.

quia hæc Natio cum ceteris commercia ſua ſic inſtituebat, ut nunquam ab illis aſpiceretur, occurſaretque nunquam.

Ignoti facie, ſed noti vellere Seres z).

Et ipſe Plinius *a*): *Seres mites quidem, ſed & ipſis feris perſimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt, Commercia exſpectant b).*

Et Mela *c*): *Seres interſunt, Genus plenum juſtitiæ ex commercio, quod rebus in ſolitudine relictis abſens peragit notiſſimum.* Et Solinus *d*): *Seres ipſi quidem mites & inter ſe quietiſſimi, & qui*

z) Virgilius.

a) VI. 17.

b) Alii Commercia *expetunt.* Salmaſius corrigit *Deſpectant*, quod minime probamus.

c) L. III. 7.

d) Cap. 77.

qui reliquorum mortalium cœtus refugiunt, adeo ut ceterarum Gentium commercia (Linguæ) *abnuant. Primum eorum fluviorum Mercatores ipsi transeunt, in cujus ripis, nullo inter partes linguæ commercio, sed depositarum rerum pretia oculis æstimantibus sua tradunt.*

PATET itaque ex prioribus Seres Taprobanensibus in negotiis faciliores se quam ceteris præbuisse Mercatoribus; porro ex hoc ultimo SOLINI, ut & ex primo PLINII loco apparet, errare istos ex Recentioribus, qui putant per Sinum Gangeticum usque ad ejus oras, non ulterius, ivisse Indorum Mercatores, cum ex his constet illos ad littus appellentes ulterius terrestri itinere ad primum usque Serum fluvium processisse; quæ omnia notanda fuere ut declararetur qua ratione ulterior In-

dia cum propiore, hæc cum Ptolemæis commercio juncta fuerit *e*).

Neque per Taprobanenses solos Alexandrini diffitioris Indiæ merces in vicinioribus Oris Maritimis accepere; in eadem enim re multum iis profuere Barygazæ, gens non procul ab Indi ostiis habitans, quæ terrestre commercium cum diffitis Indiæ gentibus exercuit, & Sesatæ, qui annuatim Thinarum merces petierunt, & Aegyptiis dein vendiderunt, quod cum sub Romanis teste Auctore Peripli Maris Erythr. factum fuerit, multo magis adhuc necesse erat sub Ptolemæis, quorum naves neque diu in India commorari voluerunt, neque longe excurrere potuerunt *f*).

Merces

e) Merces Serum præcipuæ Sericiæ, de quibus infra.

f) Videndus de Thinæ Regno Magnus

Merces Indiæ ex Regno Animali.

NIL vero magis conferre poterit ad Commercium Indicum, præcipue ſub Ptolemæis, illuſtrandum, quam Enumeratio Mercium ex India exportatarum, illarumque, quæ illuc fuere translatæ. Ex Regno itaque Animali in Emporiis Indiæ coëmebantur *Teſtudines g*), item *Ebur*, non enim in Africa modo, ſed & India, Elephantos

Voſſius in Melam. Dubia paululum & controverſa hujus gentis ſedes, hinc non dubium illam Græcis ſub Ptolemæis parum cognitam, & indirecto tantum Commercio junctam.

g) Periplus M. E. 35. Teſtudines Indicæ præſtabant ceteris. * Eorum ſegmentis Veteres veſtiebant Lectos & Repoſitoria. Plin. VIII. Lucanus in Deſcript. Cultus Cleopatræ, Lib. X. ubi multa occurrunt, quæ Luxum Aegyptiorum illorum temporum egregie illuſtrant.

eosque maximos fuisse constat, quod multis probavit RELANDUS in Diss-sert. De Ophir pag. 181. seq. *Margaritæ*, ut hodie, sic & olim erant ex præcipuis Indici Commercii objectis *h*), illæ enim, quæ circa Taprobanen inveniebantur, ceteris omnibus fuere prælatæ; principium vero & culmen omnium rerum pretii Margaritæ tenebant.

HEIC & *Sericum* per Commercia dissitiorum locorum in vicina Indiæ Emporia delatum, commemorandum videtur *i*). Nemo est, qui hodie non optime hanc Mercem cognoscat, olim fere omnes ejus originem ignoravere. Missis illorum hac de re erroribus dicamus breviter Sericum tribui Indiæ, Assyriæ, & Insulæ Coo; esseque verosimil-

h) Periplus M. E. 35.

i) Per. M. Erythr. 36.

ſimillimam eorum opinionem, qui Erucam Sericum præbentem ſoli tribuunt Indiæ, addentes materiam iſtam dein ad Aſſyrios delatam ibique elaboratam fuiſſe; unde Sericum Indicum & Aſſyrium quoad originem idem. Sericum autem ex Coo alius Erucæ, multo vilioris, opus eſſe videtur; quæ omnia ſolide explicavit Clar. MAHUDEL *k*). Sericum jam Ptolemæorum temporibus Veteribus fuiſſe uſitatum ex multis Antiquorum locis conſtat, Romam vero demum Aegypto in Provinciam redacta cum multis aliis Orientis Luxus mercibus allatum fuit *l*).

Lanæ

k) *Mémoires de l'Acad. des Inſcript.* Tom. 5. 218. ſq. *De l'Origine de la Soye.* Et *Geſchichte des Seidenbaues*, in Schreberi *Saml. Oeconom. Wiſſenſch.* T. I.

l) Hac de re præ ceteris videndus Braunius de Veſtitu Sacerdotum.

Lanæ erant etiam ex illis mercibus, quas viciniores Indiæ gentes, a diffitioribus petitas, Aegyptiis vendebant; oves enim illarum regionum erant valde celebres *m*).

Merces Indiæ ex Regno Vegetabili.

Ex Regno Vegetabili inter præcipuas Merces Indiæ commemorandum Linum Indicum, indeque contextæ Telæ, quarum ampla apud Veteres mentio. Sic apud Auctorem Peripli *n*) recenfentur Othonia, Filum, Sindones, Carpafum, aliaque ejusmodi. Probabile autem mihi videtur hanc mercem potius Arabibus Perfisque, quam Aegyptiis

ptiis

m) Periplus M. E. 26. De Commercio Lanæ apud Veteres optime egit Clar. *Smith* in *Memoirs of Wool*, ab initio ufque ad p. 13.

n) Pag. 5. 22.

ptiis fuiffe venditam, qui illam fine dubio non nifi parva fumebant copia, cum ipfi Lino non deftituerentur.

Ex ulteriore in propiorem Indiam, & hinc ad Aegyptios, etiam adferebantur Saccharum *o*); Nardus Indica fpicata, quæ erat optima, obfcure tantum nobis cognita; item Coftum, inter Aromata Veterum celebre, neque, ut videtur, idem ac noftrum. Porro Malobathri Indici folia odoris fuaviffimi, & Gummi Bdellium Antiquorum incognitum, a noftro parum cognito diverfiffimum *p*). Caryophili Veterum

o) Confulendus Cl. Salmafii Libellus de Manna & Saccharo Paris 1663. Pifo de Arund. Saccharifera.

p) Has Merces Indiæ, ut & fuperius allatas, præ ceteris enarrat Auctor Peripli Maris Erythrei; illas vero explicavere Cl. Stuckius in Comment. ad hoc fcriptum, Celfius in Hierobotan. ac præcipue Salmafius in Pli-

rum Aromatici *q*); Myrrhæ parum; mul-

nium, & in Homonymis Hyles Jatricæ, qui duo ultimi Auctores, etſi non ſemper veritatem, tamen viam ad illam ſuppeditaſſe videntur, dum ineditos Arabes, qui in materia medica antiquorum nimis negliguntur, ſœpius ad partes vocant. Inter Recentiores de his egere Garzias, Acoſta, Fragoſus, Bontius, Cluſius aliique plures, qui parvam præbent lucem & multas fabulas; majorem exhibent Breynii & Kæmpferi Exotica ac Japonenſia, Rumphii Amboinenſia, Rheedii Malabarica, Burmanni ac Linnæi Zeylanica. In tanta tamen Botanicorum Peregrinatorumque copia ob parum exactas deſcriptiones, plurimæ Indicæ merces in ſumma deliteſcunt obſcuritate, de quibus quid proprie ſint & unde adferantur nondum conſtat.

Aegyptii etiam habebant Malobathra ſua ſed deteriora; in unguentis vilioribus patria, peregrina in pretioſioribus adhibere ſolebant; ſed neque Aegyptia neque Indica antiquorum Malobathra probe cognita ſunt.

q) Fridelii Caryophili Aromatici.

multum Piperis *r*); Ebena pretiofissima *s*).

- - - - *Sola India nigrum*
Fert Ebenum.

Cardamomum quoque inter Merces Indiæ non omittendum, obfervandumque patere ex Differtatione fub Cl. SPIELMANNI præfidio Argentorati 1762 vulgata, Græcorum, Latinorum, Arabumque Cardamomum, effe unam ex quinque noftrorum Cardamomorum fpeciebus, cujus character & fynonyma late folideque ibi exhibentur; atque errare illos, qui Cardamomi Antiquorum notitiam intercidiffe putant; vel qui illud non cum fructu, fed cum ligno,

r) Heifterus de Pipere, qui varias Piperis, Veteribus cogniti, fpecies recenfet.

s) Virgilius Georg. 2. Hodie præftantia Ebeni Ligna ex Infulis Africæ, Madagafcar, & S. Mauritii ad nos adferuntur.

gno, aut cum Nigella lutea Orientali comparare volunt *t*).

Merces Indiæ ex Regno Minerali.

OMITTIMUS alias nonnullas Merces Indiæ Regni Vegetabilis, de quibus dictu difficillimum est cum quibus Recentiorum plantis conveniant; accedimusque ad Regnum Minerale, ubi statim recensebimus Pretiosos Lapides, quorum India semper fuit patria. Inter istos eminet Adamas Indicus. Hodie adhuc is in *Visapour* & *Golconde* invenitur, nosterque idem est, atque ille Veterum, quamvis non omnia

t) In eadem eruditissima scriptione Materiæ Medicæ studiosi iterum invenient genuina hujus scientiæ subsidia, ex nuperrimis & accuratissimis Botanices principiis, sine quibus ex his tenebris nullus unquam sperari potest exitus.

omnia, quæ Antiqui ipſi tribuunt, in noſtro locum habeant *u*).

PRAETER Adamantem inter Lapides Pretioſos Indiæ præ ceteris commemorandi Carbunculi, Hyacinthi, Opali, Saphiri, Callais, Amethyſti, Sardæ, Onyches, Achates, Cryſtalli. Huc quoque referenda eſt Murrha Veterum *x*), non enim arridet nobis illorum ſententia, qui eam cum fictilibus noſtris Porcellaneis conferunt. Concedimus quidem cum iis convenire Murrham Fictitiam in Aegypto ex Vi-

N tro

u) Goguet *de l'Origine des Loix*, *des Arts &c.* T. 2. 232. Edit. Hagæ Com. 1758. Laudanda quoque heic docta diſſertatio Joannis Fabri de Adamante, quæ prodiit Halæ Magdeb. 1737.

x) Murrha petebatur ex India, præcipue tamen ex Parthorum Provinciis, ſed Parthicæ merces vulgo in India coëmebantur, rarius in Arabicis quoque Emporiis.

tro conflatam; fed vera Murrha Indica erat Lapis ejus regionis pretiofus, ut multis probavit Clar. CHRISTIUS in fingulari & eruditiffima de hac re vulgata fcriptione *y*); in qua de ejus pretiis patriaque multum differuit. Silentio heic non prætereundus eft locus PROPERTII IV. Eleg. 5. 25. ex quo præcipue natus eft error de Murrhinis Fictilibus.

Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
Murrheaque in Parthis Pocula cocta focis.

HEIC Murrhea Pocula mediantibus Aegyptiis Romæ vendita in Parthorum focis coqui dicuntur: fed quid PRO-

y) J. Frid. Chriftius de Murrinis Veterum. Lipfiæ 1743. Negare tamen nolo Porcellanea vetuftiffimis temporibus Aegyptiis & Sinenfibus cognita fuiffe.

PROPERTIUS contra PLINIUM, qui diserte Murrham facit lapidem; imo forte foci Parthorum sunt ignes Solares locutione Poëtica, idque eo magis, quod alio loco z) idem Elegiarum Scriptor Murrham cum Onyche conferat.

SINGULARIS quoque est locus PLINII a) de Asbesto Indico, ille vero sic habet: *Inventum jam est etiam, Linum, quod ignibus non absumeretur - - Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ.* Merx ista Indica non erat, ut putabant Veteres, ex Vegetabili Regno, sed mineralis substantiæ Amianthus fibris coruscantibus, Ptolemæorum temporibus pretiosissima; de qua optime & solidissime scripsit Vir Historiæ Natu-

 ralis

z) Eleg. l. 3, 8. 22.

a) Lib. XIX. 1.

ralis & totius Antiquitatis apprime peritus MAHUDEL *b*)

MERCIBUS quoque Indiæ Succinum, seu Electrum Veterum est accensendum, etsi enim illud ex Germania plerumque peteretur, tamen etiam in India inventum fuit, maximique habitum. Qua de re videndus Clar. GESNERUS in Scriptione de Electro Veterum, inserta Tomo III. Actorum Gœttingensium *c*).

SED antequam huic Sectioni finem imponamus præcipue inquirendum restat, an Ptolemæorum temporibus Aurum Argentumque, sive signatum,

b) *Mémoires de l'Acad. R. des Belles Lettres. Du Lin Incombustible.*

c) Pag. 96. De Electro Indico.

Aliam Electri speciem in Aegypto inveniri testis est Plinius L. 37. quam cum Bitumine Aegyptio, seu Judaico Veterum, comparandam esse existimamus.

tum, ſive non ſignatum, Indiæ fuerit illatum, an vero contra; nam in hac graviſſima certe Quæſtione Recentiores, qui ingenium potius, quam Antiquitatis teſtimonia ſequuntur, mihi rem non acu tetigiſſe videntur.

Auri itaque multum & non parum Argenti in India fuiſſe repertum probare conatus eſt Cl. Relandus in Diſſertatione de Ophir *d*), allegatis omnibus quæ in hanc rem ex vetuſtis Scriptoribus haurire potuit. Sed ut verum fatear, pleraque iſta teſtimonia Aurum diſſitioribus tantum Indiæ locis tribue-

d) De Ophir breviter alio loco dicemus, ut de re obſcuriſſima & ad nos non ſpectante; niſi Auctores multi ſe certiſſime illud inveniſſe putarent, & hinc in Commercio, de quo loquimur, omnia vellent explicare.

Hodie adhuc notum Aurum Indiæ in *Sumatra* & *Malacca*.

re videntur, & præcipue Aureæ Cherfoneso, ad quam Ptolemæorum naves nunquam contenderunt; potuissent quidem Indi viciniores Aurum, a dissitioribus petitum, Alexandrinis vendere Mercatoribus, sed id sub Ptolemæis non videtur factitatum. Ubique legimus illos ex Aethiopia Arabiaque Aurum hausisse, nullibi eos ex India illud accepisse.

Hoc loco ab omnibus Recentioribus semper citari solet PAUSANIAS e), qui ait: *Quin & ab Indis referunt, qui ad ea loca navigarunt, pro Græcorum*, Alexandrinorum, *quæ illuc comportatæ fuerint rebus, reponi Indicas mer-*

e) L. III. 12. Sunt, qui putant, Commercia, quæ fiunt per Mercium Transmutationem, sine ullo pecuniæ usu, unius alteriusve gentis ignorantiam in rebus Commercia spectantibus declarare, quæ consecutio non semper est legitima.

merces, nummum vero illos plane ignorare, etſi abundet ea orbis terræ pars auro & Aere. Uti non de tota India verum eſt illam Auro abundaſſe, ſic dici quoque nequit illos nullis nummis uſos fuiſſe; incertus enim Maris Erythrei Deſcriptor *f*) teſtatur circa Gangem monetam auream in uſu eſſe; idem quoque aſſerit Barygazenſes denarios ſuos aureos & argenteos cum Ozeris, Indiæ gente, erga alios nummos permutare, indeque non leve lucrum capere.

Plinius porro hac de re ſic loquitur *g*): *Digna res nullo anno minus H S. quingentis imperii noſtri exhauriente*

f) Pag. 28. 35. 36.

g) Plinius VI. 28. Idem XII. 18. *Minimaque computatione millies centena millia Seſtertium annis omnibus India & Seres Peninſulaque illa*, Arab. Fel. *imperio noſtro adimunt. Tanto nobis deliciæ & feminæ conſtant.*

India, & merces remittente, quæ centuplicato veneant. In quem locum fic commentatur Summus De Montesquieu *h*) : *Les Romains y*, aux Indes, *portoient toutes les années environs cinquante Millions de Sefterce. Cet argeut, come le nôtre aujourd'hui, étoit converti en marchandifes, qu'ils apportoient en Occident. Tous les Peuples, qui ont negocié aux Indes y ont toujours porté des Metaux, & en ont rapporté des marchandifes.*

His nihil verius dici poteft, fub Romanis, & ante Romanos fub Ptolemæis, & nunc & femper Metalla pretiofiora in Indiam portanda, & præcipue Argentum, nulla vero inde reportanda; hoc enim eft ex illis Commercii Principiis quæ, cum in Phyficis fundata fint caufis, nullis fere obnoxia effe

h) Lib. XXI. 1.

eſſe queunt mutationibus. Divitiæ ergo, quas Ptolemæi ex Commercio Indico ſibi parabant, non metallis, ſed aliis inde eductis mercibus quas Occidenti præbebant, tribuendæ ſunt.

Merces Indiæ Gentibus allatæ.

PRAETER Pecuniam itaque Indiæ ab Aegyptiis ſub Ptolemæis adferebantur Vitra, Chryſolithi, Veſtes variæ, Melilotus, quæ erant Merces Aegypto indigenæ. Præter has advehebant etiam alienas, quarum præcipuæ erant Argentum, Stannum, Plumbum, Sandaracca Græcorum, Stibium Orientis feminis valde uſitatum, Arſenicum, Purpura, Corallium, & parum Vini.

De Commercio & Navigatione Ptolemæorum Troglodytico Aethiopica.

Hactenus de Navigationibus & Commerciis Indicis differui, nunc Troglodytico Aethiopica explicanda funt, quæ cum præcedentibus arcte conjuncta. Heic vero non inquiro, quinam variis temporibus Troglodytarum fines, neque an illi Arabes, Aethiopes, Aegyptii, aut Natio fuerint ex his omnibus mixta. Sufficiat affumere, quod folum certiffime fciri poteft, hanc regionem fub Ptolemæis Aegypto fuiffe adjectam; patet id ex urbibus innumeris, ex caftellis, portubufque ab Aegyptiis ibi tum temporis ædificatis; ex operariis, quos in harum regionum fodinas; & ex Venatoribus,

toribus, quos in venationes horum locorum misere *i*).

S T A T U S autem hujus Commercii, tam ſtricte Indico connexi, cum illo etiam ſub Ptolemæis idem fuiſſe videtur, teſte S T R A B O N E *k*), qui de Reditu Aegypti loquens hæc habet: *Ubi vero is*, Ptolem. Auletes, *qui peſſime ac ſegniſſime regnum adminiſtrabat, tantum in reditibus habuit, quid cenſendum putas de præſentibus, quæ tanta diligentia*

i) Cum Aethiopes maritimas navigationes negligerent Aegyptii oras illas Sinus Arabici in ſuam redegere poteſtatem, unde Aegyptiorum Regum ibi cognomina oppida; difficulter tamen ubique agnoſcimus quænam Urbes ab Aegyptiis, Aethiopibus, & Troglodytis habitatæ fuerint. In genere ad Berenicen uſque ſemper ad Aegyptum pertinuiſſe, a Philadelpho, & Succeſſore ejus, ulteriora etiam iſtius Sinus adjecta fuiſſe videntur.

k) Pag. 1149.

ligentia a Romanis adminiſtrantur, Indicis Troglodyticiſque negotiationibus in tantum auctis, ſuperiore enim tempore ne viginti quidem navigia in Arabicum Sinum tranſire audebant, ut extra fores proras proſpicerent, nunc maximas Claſſes uſque in Indiam & extrema Aethiopiæ tranſmittunt.

Commercium itaque Troglodyticum ſub Romanis multo magis, quam ſub Ptolemæis excultum fuit; illud tamen etiam ſub Ptolemæo Philadelpho, magno illo Commercii Aegyptii auctore, floruiſſe videtur, quod nunc ex Veterum aſſertis probare conabimur. Sic itaque Plinius *l*): *Eæ viæ omnes Arſinoën ducunt, conditam Sororis nomine, in Sinu Charanda, a Ptolemæo Philadelpho, qui primus Troglodyticen excuſſit, & amnem, qui Arſinoën præfluit*

l) Lib. VI. 29.

præfluit Ptolemæum appellavit m). In quo loco, ut id obiter obfervem, PLINIUS, uti plurimi Veterum, per Troglodyticen non modo fuperiorem partem Occidentalem Sinus Arabici, fed omne illud littus fenfu latiffimo intellexit. Conferendus cum ifto loco de Ptolemæo Troglodyticen excutiente DIODORUS SICULUS *n*), qui ait: *A prifcis temporibus ad Ptolemæum, cognomine Philadelphum, nulli Græcorum Aegypti fines attigerunt, nedum ad Aethiopiam ufque penetrarunt. Tam ignara hofpitum erant loca ifta & periculis obnoxia, donec Rege illo cum Græcorum manu ifthuc profecto, exactius inde regio*

m) *Excutere Regionem*, locutio infrequens, fed *Excutere rem*, penitius infpicere & exacte fub examen vocare, fœpius apud Ciceronem.

n) Lib. I. pag. 45.

regio explorari cœpit o). Et STRABO *p*), de origine Nili ex Aethiopia loquens, hæc habet: *Quam rem ii potissimum deprehenderunt, qui in Arabicum Sinum navigarunt usque ad Cinnamomiferam Regionem, & ii, qui ad Elephantorum venationem missi fuerunt, aut si qui alii usus Ptolemæos Aegypti Reges impulerunt, ut homines aliquos eo amandarent; nam hi talia curabant; is præcipue, qui cognomento fuit Philadelphus, cognitionis rerum apprime studiosus, cum propter corporis imbecillitatem semper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret q).*

ISTE

o) Regionem lustravit & inspexit, ut illam commerciis & Elephantorum Venationi aptam redderet.

p) Lib. XVII. pag. 1138.

q) Imo vero patet ex Principis hujus historia illum non meram sibi in his oblectationem, sed summum regni splendorem sum-

Iste Ptolemæus in Troglodytarum regione tres urbes portuſque exſtruxit Berenices matris nomine inſignes *r*); Arſinoën unam, aut forte duas, res enim adhuc in obſcuro latet; condidit quoque Philoteram urbem portu adjecto. De ſuo nomine vocavit oppidum ad Elephantorum venationem ædificatum *s*); venatione bellicis præcipue uſibus deſtinata. Iſte Rex Satyrum miſerat, ut & hanc luſtraret venationem, & totam Troglodyticam Regionem penitius inſpiceret *t*). Iſte tandem

mamque utilitatem propoſuiſſe, fuiſſeque rerum civilium longe peritiſſimum.

r) Plinius VI. 29. Strabo 16. 1115.

s) Monum. Adulitanum, & Agatarchides 1.

t) Strabo 1114. Videbimus ſuo ubique loco nullam fuiſſe regionem Commerciis Aegyptiorum per Mare Rubrum aptam, in

dem cum Succefforibus fuis in Topazion Infula ferpentes, quibus fcatebat, deftruxit, hominesque ibi collocavit, qui gemmis illis quærendis incumberent, quæ res, cum fuerit ex objectis majoribus Commercii Troglodytici fub Ptolemæis heic breviter videtur pertractanda. Sic itaque STRABO *u*) de hac Troglodytarum Infula loquitur: *Ophiodes Infula ab eventu appellata, quam Rex a ferpentibus liberavit, cum multi applicantes ferpentibus interficerentur, idque propter Topazia - - Aegypti Reges*

quàm non homines miffi fuerint a Philadelpho, ut ipfam notiorem redderent.

u) Lib. XVI. 1115. Minime probandus Clar. Salmafius, qui in Comment. ad Solinum, quæ de Serpentibus hujus Infulæ traduntur, commentitia putat, audetque ob conjecturalem etymologiam graviffimis Scriptoribus, de rebus fui temporis verofimilia differentibus, fidem abjudicare.

Reges maximam hominum multitudinem, mercede conductam, ad horum Lapidum collectionem custodiamque ibi collocarunt. Et Diodorus Siculus de eadem Insula: - - *Formidolosis anguibus scatebat, sed insecutis dein temporibus Regum Alexandriæ studio, ita ad cultum redacta est, ut ne vestigia quidem bestiarum ibi conspiciantur. Nec causa prætermittenda, ob quam Insula tantis impendiis repurgata fuit; Reperitur in ea Topazius* &c. *x*).

O Nos

x) Diod. Siculus 3. cap. 39. Agatarchides, pag. 55, qui sub Ptolemæis vixit: *Serpentibus referta erat, nostra ætate libera - - - Insulæ habitatores regio edicto Lapides custodiunt, colligunt.*

In talibus hinc & illinc prolixius versamur, quia, ob Monumentorum de Commerciis Ptolemæorum penuriam, ex similibus judicandum est. Videmus heic Regem Philadelphum summa cura in toto Regno suo, viciniaque, conquisivisse omnes Merces alicu-

Nos Philadelpho primam hujus Insulæ inspectionem, a serpentibus purgationem, Topaziorumque illius inventionem tribuimus, præcipue ob locum PLINII *y*), qui ait: *Topazium juxta Archelaum tribui Cyti Insulæ, juxta Jubam primum in Topazia Insula repertum in Mari Rubro. Ex hac primum importatum Berenice Reginæ, quæ fuit Ptolemæi sequentis*, i. e. secundi, *mater - - - ac mire placuisse, ac inde factam statuam Arsinoë* Ptolem. *Philadelphi uxori 4 cubitorum z).*

HEIC

jus pretii, unde liquet illum commerciis regnum suum ditissimum reddere voluisse, quod etiam præstitit.

y) Lib. XXVII. 8. Merces Troglodytico Aethiopicas suo loco pertractabimus, sed consultius videbatur de Topazio heic loqui, neque stricte viam nostram ita sequimur, ut illam nolimus hinc & inde, postulante necessitate, relinquere.

z) Magnum opus ex gemma, qualis To-

Heic quoque citandus Clar. De Mariette *a*), qui de re noſtra ſic ſcribit: *Nos plus belles Topazes ſont celtes d'Orient, c. a. d. celles, qui vienent de l'Inde, & ce ſont ſuivant les apparences ces mêmes Chryſolithes, que les Anciens reçevoient par la voie de l'Ethiopie, qui étoit alors l'entrepot de tout le commerce des parties les plus Orientales de l'Aſie.* His ego libenter conſentirem, niſi viderem Scriptores mox laudatos Topazium Troglodytarum iſti Inſulæ tribuere, ut in terra deliteſcentem, & ab operariis, hujus rei cauſa ibi collocatis repertum, non vero ut illuc per commercia advectum.

O 2 Jun-

pazius; forte factitium quid ex Vitro Regi exhibitum. Eodem forſitan modo explicandi Smaragdi illi miræ magnitudinis.

a) *Des Pierres Gravées*, 169.

Jungamus Commercio Troglodytico Aethiopicum, ad quod Ptolemæi viam fibi parabant illis urbibus, quas juxta Sinum Arabicum in Troglodytarum regione exftruxerunt. Speramus vero illa, quæ de Commercio Troglodytico diximus, etiam nobis viam paratura ad difficillimam & obfcuriffimam quæftionem de Commercio & Navigatione Aethiopica fub Ptolemæorum imperio.

Et heic de Aethiopia illa tantum nobis fermo erit, quæ fub Aegypto, vel ut alii malunt, fupra Aegyptum jacet, quæ cum his commerciis juncta, nobifque propterea notior eft. Exponamus ergo tantum Commercia Aegyptiorum cum Regionibus, quæ hodie refpondent Regno Nubiæ, Abyffiniæ, Adelis & Oris Zanguebar.

Aethiopes itaque illi, qui non procul a Sinu Arrabico habitabant, per Troglo-

Troglodytas mediante iſto Sinu cum Aegyptiis commercia exercebant, erant enim ibi locorum communia quædam harum gentium Emporia, quale præter illa, quæ in Sectione de Troglodytis memoravimus, fuit præcipue Oppidum Adule, de quo PLINIUS *b*) *Maximum hic*, in Adule, *Emporium Troglodytarum, etiam Aethiopum.*

ILLI vero Aethiopes, qui interiora regni propius ad Nilum, quam ad Sinum Arabicum incolebant, iſto flumine ad commercia utebantur, paucis enim exceptis catarractis ubique fluvius iſte navigari poteſt minoribus illis navigiis, quæ in his locis confecta fuiſſe ſcimus. Et commercia illa terreſtria, Eboris præcipue, etiam ſequenti-

b) Lib. VI. 29. Inferius afferemus locum Philoſtrati de Terreſtri Commercio Aegyptiorum & Aethiopum.

bus temporibus fub Romanis ufitata fuiffe conftat ex Periplo Maris Erythrei *c*), ubi de Coloë & Auxuma dicitur, quod illuc portentur Ebora & Rhinocerotum cornua ex alia Nili parte, & ulteriori Aethiopia, in qua præcipue inveniuntur. Ex quibus patet Aethiopiam Mari vicinam, cum Troglodytis & Aegyptiis commercio junctam, iis illa exhibuiffe, quæ ex diffitioribus regni fui partibus haufit; etfi vero hic Auctor fit pofterior id parum omnino facit, cum locorum illorum pofitio antea non aliam permiferit negotiationem.

Com-

c) *In quam*, Axomiten Metropolin, *omne Ebur, quod eft ultra Nilum, per Cyeneium defertur, indeque in Aduli. Omnis itaque Elephantorum, qui cæduutur, ut Rhinocerotum multitudo in fupreioribus locis degit, aliquando tamen, licet rarius, in locis etiam maritimis juxta ipfum Aduli vicum confpiciuntur.*

Commercium Aethiopico Troglodyticum, quod ſub Ptolem. Philadelpho incepit, ſub filio ejus, Evergete Primo, non modo tale manſit, ſed etiam auctum mihi fuiſſe videtur, quamvis non ita ſentiant Recentiores, qui de Commerciis ſcribentes, huic Regi non magnam illius gloriam tribuunt. Sub iſto Rege Aethiopia plus, quam ſub Patre, ob ejus expeditiones cognita, & quod multum ad Commercia facit, magna ex parte ſubjugata, viisque magnificis undique ad Aegyptum munita; qua de re abunde teſtatur inſigne illud Adulitanum Monumentum *d*), in tanta Veterum Scriptorum

d) Monumentum Adulitanum ſœpius cito; eſt autem illud Sella Marmorea, Marti in Adule Aethiopiæ conſecrata, memoriam ſervans geſtorum Evergetis Primi, & hac occaſione etiam Patris Philadelphi. Exſtat apud Coſmam Indicopleuſten in N. Patrum Colle-

de Ptolemæis penuria longe pretiofiffimum. Sub Succefforibus vero hujus Regis hoc Commercium, etfi non auctum, ob commoditatem tamen, facilitatem, viciniamque præ ceteris cultum.

Sed hactenus tantum Aethiopiæ Commercium circa Oras Sinus Arabici, & paulifper in interioribus terræ luftravimus, nunc per Fretum *Babelmandel* exeundo, littoraque Aethiopiæ legendo, videndum, vel divinandum potius, quodnam Commercium, & quafnam

ctione T. 2. Sunt quidem multi, qui illud impugnant, fed Cofmas nimis infcius ut id potuerit fingere, & nimius veritatis cultor ut id facere voluerit; fatis tamen imperitus ut parum accurate defcriberet. Stylus elegans eft, & veterem fentiens Græcifmum; hinc inde quædam corrupta funt, a Cofma parum fideliter defcripta, & a Clar. Montfauconio nondum reftituta.

nam navigationes Aegyptii ſub Ptolemæis ibi exercuerint.

Superiore itaque tempore, ait jam laudatus STRABO *e*), *ne viginti quidem navigia in Arabicum Sinum tranſire audebant, ut extra fauces proras proſpicerent, nunc maximas Claſſes uſque in Indiam & extrema Aethiopiæ tranſmittunt.* Quando STRABO ait naves non ultra fauces proſpicere id ſatis probare videtur illum crediḋiſſe Ptolemæorum temporibus facillimam illam navigationem uſque ad Fretum *Babelmandel* præ ceteris fuiſſe in uſu *f*); potuiſſetque addere, quod vix dubium eſt, illarum navium, quæ excurrebant ex Si-

O 5 nu,

e) Pag. 1149.

f) Avalitæ, merces ſuas non modo venientibus ad ſe Aegyptiis vendebant, ſed etiam portabant in oppoſitam Ocelim & Muzam. Periplus M. Erythr. 6.

nu, femper plures ad Indos, quam ad Aethiopiæ littora tetendiffe, lucri enim ibi plus, & minus periculi. Quo magis cognita India eo magis Africæ oræ relictæ funt. Doctus, fed Ptolemæis recentior Auctor Peripli Maris Erythrei Emporia commemorat, Avalitem, Mundi, Mofylon, Oponæ, Aromatum Emporium, Apocopa, & ultimum tandem Azariæ, quod Raptum vocat *g*); ubi addit poft hæc loca Oceanus nondum inveftigatus. Hoc vero Promontorium Raptum in *Quiloë* collocatur a Magno Vossio, qui de limitibus navigationis Veterum circa has

g) Omittimus hinc & inde Emporia minora præcipue, quia hic Auctor de tempore Romanorum fcripfit.

De Promontorio Prafo non loquimur, quod ulterius adhuc collocatur a Ptolemæo, fed navibus non petebatur.

has Aethiopiæ oras maximo cum apparatu egit *h*).

HEIC dicendum eſt de Ophir, de quo Docti quidam Viri ita ſcripſere, ut inde lucem non exiguam ſe Ptolemæorum Commerciis tribuere crediderint. Dicunt itaque Aegyptios idem Commercium accepiſſe ſub Alexandri Magni Succeſſoribus, quod antea habuerunt Tyrii; addunt Tyrios, & illorum ope utentes Judæos, præcipue in Ophir tetendiſſe, quod illi ponunt in *Sophala;* probabile ergo eſſe ſub Ptolemæis etiam illuc naves contendiſſe, & tam periculoſum commercium tum demum ceſſaviſſe, cum India adhuc ſub Romanis magis cognita, & Navigatio Indica perfectior reddita. Sed ingenue fateor me de Ophir certi nihil ſtatuere poſſe.

Qui

h) Videndus ejus Commentarius in Melam.

Qui in Africa ponunt nec Pfittacos, nec Pavones invenient, & habent navigationem difficillimam; qui in India, illi cum prioribus laborant difficultate fumma, quam tamen vix tangunt, ex JOBI XXII, ubi vetuftiffimus ifte omnium forfitan V. T. Scriptorum de Ophir mentionem facit iis temporibus, quibus nec *Sophala*, nec auriferæ Regiones Indiæ, quæ fane funt ex diffitioribus, navigiis petitæ fuiffe videntur *i*).

Merces Troglodytico Aethiopicæ.

NEQUE vero quidquam magis conferre poterit ad amplitudinem Navigationum Commerciorumque Troglodytico

i) Voluit hanc difficultatem tollere Bochartus, dicendo duo fuiffe Ophir, unum in Arabia, quod pluribus eruditiffimis viris placuit, alterum in *Ceylan.* Sic nodi non folvuntur fed fecantur.

dytico Aethiopicarum dijudicandam, quam Enumeratio Mercium, quas Ptolemæi ex his regionibus accepere. Recentiores heic iterum adhibemus Scriptores, idque eo minus curamus, quod Merces illæ fere ſemper eædem; major tantum & minor earum uſus & æſtimatio pro vario luxu, cujus fata & fortunam continuo conſulimus, caventes, ne quid Ptolemæis tribuamus, quod recentiorum ſit temporum.

Merces has præcipue deſcripſit Plinius *k*), qui ait: *Maximum*, in Adule, *Emporium Troglodytarum etiam Aethiopum - - deferunt plurimum Ebur, Rhinocerotum Cornua, Hippopotami coria, Chelyon Teſtudinum, Sphingia, & Mancipia.* Atque Philoſtratus *l*) dicendo: *Cum ad loca veniſſet Apollonius, ubi*

k) Lib. VI. 29.

l) Vit. Apoll. Thyan. VI. 1.

ubi Aegyptus Aethiopiaque terminantur - - Aurum non ſignatum invenit, Linum prœterea, atque Ebur, & Herbarum radices varias, unguentum inſuper, & diverſorum generum Aromata. Omnia autem incuſtodita jacebant, in via certas in partes diſtributa; quid autem ea res ſibi velit oſtendam; permanet enim noſtra etiam ætate conſuetudo. Forum namque Aethiopes inſtituunt earum rerum, quas fert Aethiopia, & univerſam regionem perquirentes venalia cuncta in unum conferunt locum, ubi etiam Aegyptii pro illis forum celebrant, & quæ apud Aethiopes ſunt, earum quas ipſi habent, rerum, permutatione emunt m).

Ex

m) Hæc Philoſtratus ſuis, & illum antecedentibus Apollonii Thyanei temporibus, tribuit; nos nulli dubitamus jam ſub Ptolemæis, cum Aethiopibus ut vidimus commercio junctis, eodem modo, qui heic deſcribitur, merces permutatas fuiſſe; nam parum

Ex his itaque PLINII PHILOSTRATIQUE locis Merces Troglodytarum Aethiopumque recensebimus, additis illis, quae apud Auctorem Peripli Maris Erythrei occurrunt, qui in hac re ceteris multo amplior.

PRIMO itaque loco PLINIUS mentionem facit Eboris n). Consentit PHILOSTRATUS & auctor Peripli, qui illud plurimis Aethiopiae tribuit Emporiis; omni enim tempore istam Africae partem Elephantis abundasse notum est. Eboris autem usus longe fuit hac aetate frequentissimus, quod PAUSANIAS o) multis in locis pro-

aut nihil barbararum gentium mores saeculorum decursu mutantur; certeque, nunquam, aut rarissime, a modo perfectiore, ad rudiorem delabuntur.

n) Praeter Ebur Africae Aegyptii etiam habuerunt Indicum, quod maximi faciebant.

o) Lib. V.

probat, quorum unum citabimus, ubi fic habet: *Quam vero Græci fplendidi ac magnifici, & omnium minime parci in colendis Diis fuerint, magno illud documento eft, quod ex India & ab Aethiopibus Ebur ad figna Deorum facienda advehendum curarint p*). Hæc vero Ptolemæorum fpectant tempora, quibus Græcorum luxus & artes in Aegypto maxime florebant, fic ut gens hæc non modo pro illis, cum quibus commercia exercebat, fed & præcipue in proprium ufum Ebora advexerit.

Ebori jungamus Rhinocerotum Cornua, de quibus Plinius l. c. uti etiam Auctor Peripli fœpiffime *q*); iftud

p) Græci hæc Ebora plerumque Alexandriæ petebant.

De Summo Eboris apud Veteres honore confulendus Illuftr. Comes *De Cailus Rec. d'Ant. 1.* 155.

q) Pag. 3. 5. 11. Sœpius. non femper

iſtud enim Animal Aethiopicum eſt, cujus cornua Veteres, ut Elephanti dentes, pro variis operibus artium, ſœpius pro poculis adhibuiſſe videntur, & maximi æſtimaſſe r). Illud Animal ARISTOTELI quidem non videtur fuiſſe notum, ſed ſub Ptolemæis illud deſcripſerunt AGATARCHIDES & DIODORUS SICULUS, ſic ut dici nequeat cornu ejus eſſe ex mercibus recentiorum tantum temporum.

PLINIUS inter Merces Aethiopiæ porro recenſet Hippopotamorum

P Co-

tamen, Veteres de Monocerote Aethiopiæ loquentes, Rhinocerotem intelligere videntur.

r) An illi olim ab Aegyptiis virtutes eæ miræ, quas Recentiores, ut rei rariſſimæ, tribuunt, jam ad ſcriptæ fuerint, definire non audeo. Conſulendum de hac re Bartholini Scriptum de Unicornu, & præcipue Bocharti Hierozoicon.

Coria. Tradunt autem Veteres ac Recentiores iſtud Animal Niloticum pelle gaudere aſperrima, vix ferro cedente, & hinc multis uſibus apta *s*). Sic itaque LUDOLFUS *t*) etiam de Aethiopibus noſtri temporis: *Dantur, qui venatione illorum*, Hippopotamorum, *ſe ſuſtentant & carne veſcuntur. Corium autem craſſiſſimum ad varios uſus, inprimis ad ſcuta, adhibent.*

PLINIUS Mercibus Aethiopicis addit *Chelyon Teſtudinum u*); ex hoc autem loco, & ex Auctore Peripli conſtat varias pretioſioris viliorisque Teſtudinis

s) Bocharti Hierozoicon pag. m. 768, ex Achille Tatio & aliis.

t) Ludolfus Hiſt. Aeth. I. c. II. Is hæc habet ex Nic. Godigno, qui de rebus Habeſſinorum oum fructu conferri poteſt.

u) Sic legit Harduinus, & explicat integumenta pretioſioris teſtudinis.

ſtudinis ſpecies ex Aethiopia allatas fuiſſe, quod facile nobis perſuademus, conſiderantes iſtam regionem his animalibus abundaſſe, illorumque uſum Ptolemæorum temporibus fuiſſe maximum, ut inde non minora modo opera, ſed etiam Camerarum Stratorumque integra integumenta conficerentur.

PLINIUS addit ex Adule etiam *Sphingia* adferri, quod Animal in Muſivo Præneſtino Monumento occurrit adſcripto ipſo hoc nomine, ubi utique adeundus Clariſſ. BARTHELEMI *x*). PLINIO ſuffragatur AGATARCHIDES *y*) dicendo: *Sphynges & Cynocephali & Cepi Alexandriam ex Troglodytarum ſolo & cetera Aethiopia transmittuntur.* Cum autem AGATARCHI-

x) *Explication de la Moſaique de Paleſtrine* pag. 41.

y) Pag. 50.

DES iſte ſub Ptolemæis vixerit, PLINIOQUE heic conſentiat, patet me jure meritoque in tanta hujus materiæ obſcuritate, PLINIUM, etſi Ptolemæis poſteriorem, tamen in ſubſidium vocaſſe. Sphingia vero Cebi & Cynocephali ſunt, Veteribus teſtibus, ſpecies Simiarum Troglodyticarum; ſolebant autem mercatores in magnatum divitumque gratiam Alexandriam ſingularia quædam commercii ſui objecta afferre; ſic Salomonis Claſſes advexere Pſittacos, Pavones, imo etiam Simias z).

APUD

z) Clar. *Barthelemi* loc. cit. qui de omnibus Simiarum Troglodyticarum ſpeciebus, in illo Monumento occurentibus, breviter & ſolidiſſime diſſeruit.

Simiæ Salomoni advectæ dicuntur in Sacris Litteris *Kophim*, quod ipſum Ceborum nomen videtur, illud autem etiam in Coptorum Lingua ſupereſt.

Apud Plinium porro inter Aethiopicas Merces occurrunt *Mancipia.* Sic Auctor Peripli Maris Erythrei *a*), in duobus illarum regionum Emporiis ait rarius Mancipia comparari. (Σώματα σπανίως.) In Ptolemæorum historia plus una vice Servorum mentio occurrit; illi a dominis profugi, Plinio VI. 29. teste, Urbem

 Adu-

a) Periplus M. E. 6. & 8. *In Emporio Oponæ*, ait ille, *Mancipia præstantia, quæ in Aegyptum plerumque devehuntur.*

Nescimus an prima origo Mancipiorum Aethiopicorum quærenda sit in spontanea illorum ad Servitutem aliquam benigniorem venditione; an in bellis in quibus victi captique fuere; an in crudeli tyrannide, quam Principes calidarum istarum regionum vetustissimis temporibus erga ignavos ac debiles subditos exercebant. In Aegypto tamen Servi eidem quo apud Græcos jugo, i. e. mitiori, expositi fuisse videntur.

Adulen condidere, illi forfitan ab iftis Regibus, in fodinis fuere adhibiti, quamvis ibi malefici potius, quam Servi operari folebant *b)*.

Hoc denique loco operæ pretium eft obfervare Romæ, primis Imperatorum temporibus, Aegyptios Pueros, Pantomimofque Alexandrinos fere in omnibus potentiorum domubus fuiffe fuftentatos, uti etiam Polyphagos, Nanofque, qui fine dubio ex Aethiopia in Aegyptum & inde Romam traducti fuerunt *c*).

HA-

b) Olim Servi plurimi ex Cappadocia veniebant & P. Euxini vicinia. In Cultu Cleopatræ apud Lucanum X. 127. multorum fervorum, Eunuchorumque mentio occurrit ex variis regionibus adductorum.

c) Stanislaus Kobierzykius de Luxu Romanorum, in Thef. Grævii T. 8. 1341. fq.

His non inhæremus, quia teftimonia recentiora funt, & dubium videtur an fub

HACTENUS Aethiopiæ Merces ex PLINIO defcripfimus, addemus nunc & alias ex PHILOSTRATO, is vero fupradictis jungit *Aurum non Signatum.* Confentit PLINIUS VI. 29. qui in Troglodyticis Urbibus recenfet Berenicen a Ptolemæo Philadelpho conditam, & ob auri copiam *Panchryfon* nominatam *d*).

POSSEM heic Recentiores citare Abyffiniæ hujus metalli abundantiam tribuentes *e*); fed his utique præferenda loca AGATARCHIDIS, & DIO-

Ptolemæis magnum jam fuerit fervorum commercium, quod poftea fummopere creviffe videtur.

d) Urbis iftius fitum non determinamus, verofimile eft illam effe inter Ptolemaidem & Adulas, erraréque Harduinum, qui in *Zibit* vicinæ Arabiæ collocat.

e) Ludolfi Hift. Aethiop. 1. 7.

DORI SICULI *f*); quorum prior sub Ptolemæo Alexandro, posterior sub Aulete vixit, & hac de re ita loquitur: *In confiniis Aegypti vicinæque Arabiæ & Aethiopiæ locus quidam magnis auri fodinis abundat, quod ingenti multorum hominum molestia & impensa congeritur - - Reges enim Aegypti damnatos ob maleficia, belloque captos - - in fodinas illas compingunt, tum ut pœnas de reis sumant, tum ut horum opera magnos sibi questus faciant g).*

HIS

f) Agatarchides 22.

Diod. Sic. 181. seq. L. 3.

g) Dissimulandum non est Agatarchidem innuere videri Fodinas illas jam suo tempore non amplius fuisse frequentatas; sed Diod. Sic. qui illum exscripsit, loquitur de iis, ut de re adhuc suo tempore obvia, unde verosimile est ultima Agatarchidis verba a Photio in Excerptis ipsi non fuisse addita.

His idem Auctor amplam, nobisque non tangendam, descriptionem addit fodinarum illarum & durissimi laboris, quem ibi operarii patiebantur.

Philostratus quoque Mercibus Aethiopicis *Aromata* varia, diversasque *Herbarum Radices* annumerat *h*); consentit Periplus Maris Erythrei, ubi commemorantur Myrrha, Thus, plurimae Casiae species, Macir, Mocroti, Gizir, Asyphe, Mogla, Moto; ex quibus omnibus illa Unguenta conficiebantur, quorum idem Philostratus heic mentionem facit *i*).

Neque silentio praetereundum est multos, eosque eruditissimos Recentiorum

h) Celebre fuit Aethiopiae Emporium, quod ab Aromatibus nomen habuit.

i) Harum Mercium plurimae obscurissimae sunt. Casiae nomen forte antiquitus generatim adhibitum ad varia benefragrantia ligna indicanda.

tiorum Scriptorum, in ea verfari opinione Aromata plura, quæ a Veteribus Aethiopiæ tribuuntur, ibi non natalia fuiffe, fed ex India illuc traducta vel per Arabes, vel per ipfos Aethiopes, quod nos, cum res fit incerta, in medio relinquimus *k*).

His omnibus Aethiopiæ Mercibus Lapides varii pretiofi addendi *l*), qui ex illa regione peti folebant; veluti Topazii, Hyacinthi, Heliotropia, Carbunculi *m*), Magnetes, Marmora plurima pulcherrima, & præcipue Obfidianus

k) Idem fentiunt de multis pretiofis Lapidibus Aethiopiæ tributis. Conferenda funt illa, quæ poftea dicemus, de Mercibus Arabiæ tributis, quæ forfitan etiam Indicæ fuere.

l) Omittimus Linum Aethiopicum, de quo Philoftratus, & quod Aegyptio vilius.

m) Solinus 379, qui ait: *Commercium cum Troglodytis habent Carbunculi Gemmæ.*

dianus Lapis Aethiopiæ proprius, & a factitio illo distinguendus, qui in Aegypto ex vitro conflabatur, & de quo PLINIUS 36, 26. scribit: *In genere Vitri & Obsidiana numerantur, ad similitudinem Lapidis, quem in Aethiopia invenit Obsidius, nigerrimi coloris n).*

Merces Aethiopiæ ab Aegyptiis illatæ.

RECENSITIS Aethiopiæ Mercibus unum illud superest, ut adhuc ostendamus, quasnam Merces Aegyptii cum Aethiopibus commutaverint; hocque eo difficilius videtur, quod hujus gentis historia luxusque sub Ptolemæis in obscuro lateat.

AETHIO-

n) Periplus Maris Erythr. 3. & Caryophilus in docta scriptione de Marmoribus Veterum.

Aethiopiae itaque illatas Merces enumerabimus ex Auctore Peripli Maris Erythrei *o*); illas præcipue citantes, quæ noſtra ſpectant tempora. Is itaque dicit huic regioni inferri Veſtes plurimas in Aegypto confectas viliores pretioſioreſque, ubi nobis facile perſuademus Ptolemæorum temporibus priores tantum fuiſſe venditas, exceptis iis, quas Regibus Æthiopiæ portabant, ut Commerciis ſuis faverent; nam, etſi Troglodytica ad Aegyptum pertinuerit, tamen in Aethiopia per hæc tempora ſemper Reges, iique nunc unus tantum, nunc plures minores in ſingulis provinciis fuere. Sic etiam Regibus Vaſa ex argento auroque eleganter elaborata, populo ænea aut vitrea afferebantur. Orichalchi Stannique parum & multum Ferri *p*); hoc

o) Peripl. M. Er. ab initio.

p) Merces ad communem vitæ uſum, &

hoc enim metallo, illis ad venationem agricolationem, bellum, omnemque vitæ uſum ſumme neceſſario Aethiopes deſtituebantur; inde etiam confectæ Lanceæ, bipennes, ſecuresque adferebantur. Simul etiam Frumentum majori copia; Olei, vinique generoſioris parum; nummi quidam aurei & argentei non pro ipſis Aethiopibus, ſed potius in gratiam Mercatorum peregrinorum, qui ibi conſederunt.

Commercium Ptolemæorum cum Arabia.

Explicatis Navigationibus & Commerciis Aegyptiorum Aethiopicis tranſeo ad illa, quæ exercuère cum Arabia Deſerta, Petræa, & Felice q). Par-

præcipue metalla, de quibus heic ſermonem facimus, ſunt omnium temporum.

q) Etſi hæc Arabiæ diviſio non videa-

Parva aut fere nulla cum prima, majora cum altera, longe maxima cum ultima instituere, quæ ceteras divitiis & amplitudine multum superat r).

JAM

tur ad Ptolemæorum tempora ascendere illam tamen, ut Recentioribus semper usitatam, adhibendam censuimus. Arabiæ partem, illam sine dubio quæ Aegypto vicina est, ad primorum Ptolemæorum regnum pertinuisse constat.

r) Mirandum est quosdam Veterum, multos Recentiorum, Commercia Arabiæ vix tangere, quæ tamen his temporibus, de quibus loquimur, & antea & post, maxima fuere. Optime de hac re scripsit Judiciosissimus Garcinus in Additione ad auctiorem editionem Dictionarii Commercii a *Savari* vulgati, Tom. I. Edit. Genev. A. 1742. pag. 29. seq. De Arabum omnique Veterum Commercio consuli etiam potest, *A complete Collection of Voyages and Travels by John Harris.* London, 1748.

Jam ante Ptolemæorum tempora Arabes commerciis deditos fuiſſe ex indubiis probare poſſem Monumentis, niſi ſic longius a propoſita quæſtione diſcederem; ſub iſtis vero Regibus inter Arabiam Aegyptumque magnum interceſſit commercium, ad quod illos invitabat commune vicinum utriſque Rubrum Mare, & Arabiæ Merces omnibus gentibus expetitæ. Huic commercio favens Ptolemæus Philadelphus Mare Rubrum Nilo junxit, viamque Copto Berenicen inſtauravit. *Nunc*, inquit STRABO *s*), *ex Albo Pago pars maxima mercium in Muris Portum, poſtea camelis Coptum Thebaidis transferuntur, indeque Alexandriam per Nili Foſſam.* Hujus Commercii gratia Ariſtonem

s) Lib. XVI. I. Ptolem. Philad. Arabiæ Urbem Rabbath reſtauravit, & de nomine ſuo Philadelphiam vocavit.

ftonem mifit, qui Arabiæ oras perlegeret defcriberetque *t*). Ifte quoque Rex Arabes, Piratarum inftar navigationes commerciaque fua infeftantes, claffe deftruxiffe videtur, qua de re fic habet DIODORUS SICULUS *u*): *Olim*, Arabes, *jufte exigebant vitam, alimentis ex re pecuaria contenti, fed poftquam Alexandrini Reges navigabilem mercatoribus Sinum reddidiffent, non modo naufragis vim intulere, verum prædatoriis myoparonibus de aliis etiam nautis prædas egere - - Sed tandem triremibus in alto pelago expugnati meritas dedere pœnas.* Et STRABO *x*): *Succedit*

t) Diod. Sic. Lib. III. pag. 209. *Arifton ad explorandas Arabiæ Littoralis terras ad Oceanum ufque a Ptolemæo miffus.*

u) Lib. III. 210. Alii Arabum fuere Mercatores in Urbibus degentes, alii Nomades Piratæ.

x) Lib. XVI. 1123.

cedit Elaniticus Sinus & Nabathæa populosa sane regio, ac pascuis abundans. Insulæ ante hæc sitæ ab hominibus tenentur, qui olim quieti, postea ratibus deprædari cœperunt eos, qui ex Aegypto navigabant, sed pœnas dederunt classe adversus istos profecta, a qua fuerunt oppressi.

Heic quidem non definitur quinam Ptolemæorum eos classe devicerit, nos vix dubitamus illud maximo commercii hujus gentis fautori tribuendum esse, præcipue cum dicatur hoc accidisse Sinu Arabico sub Alexandrinis Regibus, id est Ptolemæo Philadelpho, frequenter navigari cœpto *y*).

Sub Ptolemæis Commercium Arabiæ magis adhuc, quam postea, ex-

Q cultum

y) Non modo in Mari, sed & in terra, commerciis omnem securitatem paravit Philadelphus, qui Aegyptum, teste Theocrito 15 & 17 prædonibus liberavit.

cultum fuiſſe videtur, nam cum ea tempeſtate minus, quam ſub Romanis, in Indiam navigaretur, accidit ut in Felicis Arabiæ Emporiis, non modo Arabicæ, ſed etiam Indicæ Merces cum Occidentalibus permutarentur. Huc facit ſœpe jam nobis citatus STRABONIS locus *z*), qui ait: *Superiore ſane tempore ne viginti quidem navigia in Arabicum Sinum tranſire audebant, ut extra fauces proras proſpicerent, nunc maximas Claſſes uſque in Indiam & extrema Aethiopiæ tranſmittunt.* Quæ verba egregie illuſtrat Auctor Peripli Maris Erythrei *a*), qui de Urbe *Aden*, Ἐυδαίμων, i. e. Felix vocata, ſic habet: *Felix ideo - - eſt appellata, quod cum nondum ex India in Aegyptum navigaretur, neque ex Aegypto quiſquam interiora Indiæ*

z) Lib. XVII. 1149.

a) Pag. 14.

Indiæ loca petere auderet, ſed eouſque tantum procederetur, utrorumque tam Aegyptiorum, quam Indorum merces ipſa recipiebat b). Quemadmodum Alexandria & externas merces, & quæ ab Aegypto veniunt, ſuſcipit.

ANTEQUAM ulterius pergam illuſtrandus eſt locus AGATARCHIDIS de Commercio Arabum ſub Ptolemæis, ille vero ſic habet c). *Nulla*

b) Nonnulli hunc locum accipiunt de medio quodam tempore inter Ptolemæos primos, & Romanos.

c) Pag. 64. Alii vertunt: *Quidquid ſub calculum tranſportationis cadit*, in Græco eſt, Πᾶν τὸ πίπτον ἐις διαφορᾶς λόγον.

Agatarchidem ſœpe cito, hinc obſervandum eſt Dodwellum in doctiſſima ſcriptione de controverſa ætate iſtius opuſculi, præfixa Geographis Minoribus, probare, idque ex argumentis, ut videtur indubiis, Agatarchidem libellum de Mari Rubro ſcripſiſſe

Sabæis & Gerrhæis opulentior hominum natio videtur, qui, quidquid pro fumtuofo habent Afia & Europâ, difpenfant. Hi auri ditiffimam Ptolemæi Syriam fecerunt. Syria hæc, quam Arabum commercium locupletavit, & quæ Ptolemæo Philometori, de quo fermo eft, fubdita fuit, eft Cœle Syria.

QUINAM præcife fuerint optimi & maxime frequentati Portus, quænam celebriora Arabiæ fub Ptolemæis Emporia, dictu difficile eft; illi enim, qui de his fcripfere recentiores funt, & talia valde temporum lapfu immutari queunt.

INDE ab exitu freti Maris Rubri a PLINIO *d*), & Auctore Peripli Maris

jam ætate provectum; idque ab initio Regni Ptolemæi Alexandri. Sed egregii iftius Monumenti excerpta tantum exftant a Photio fervata.

d) Plinius VI. 23. *Veniunt*, Naves ex

ris Erythrei recenſentur *Muza*, *Ocelis*, *Arabia Felix*, *Cane*, *Sachalites Sinus*, *Syagros*, *Moſcha*, aliaque plura; ubi nobis obſervaſſe ſufficiat ex iis, quæ ſupra de vario itinere Indico dicta ſunt, conſtare ſub Ptolemæis navigatores, littora propius legentes, iſta Emporia Maritima, quæ longius extra Fretum *Babelmandel* ſunt, ſœpius adiiſſe, quam poſtea, cum altum petendo in Indiam tenderent; nunquam tamen illi hæc Emporia penitus neglexere, quia eorum mercatores ex vicina Perſia, & ex Scythia merces illarum regionum repetebant, quod præcipue

Q 3 fiebat

Berenice, *Ocelin Arabiæ*, *aut Canen Thuriferæ Regionis.* *Eſt & tertiùs Portus*, *qui vocatur Muza*, *quem Indica Navigatio non petit*, *nec niſi thuris*, *odorumque Arabicorum mercatores.* Ergo tum temporis ſœpe diſtincta & ſpeciatim exculta Navigatio Arabica atque Indica.

fiebat in *Cane e*); cujus incolæ cum Omanitis, & adhuc cum diffitioribus Perfarum Scytharumque gentibus, imo & cum incolis ipfius Indiæ commercia exercuere. Sic recentiore tempore, cum penitus per altum navigaretur, Muzenfes freto vicini cum diffitioribus, v. gr. cum Diofcoridis Infula negotiabantur, ut illius terræ merces Alexandrinis venderent, quæ omnia ex Auctore Peripli Maris Erythrei ulterius de-

e) Peripl. M. Erythr. pag. 15. 18. 19.

De Commercio Aegyptiorum Scythico & Perfico non dico fpeciatim, fed illud in Mercibus Indicis & Arabicis comprehendo, fuit enim penitus indirectum. Uti Arabes, fic etiam multo magis Indi Barygazæ, non procul ab Indi fluvii oftiis habitantes, cum Perfia, Scythia, Parthiaque commercia exercebant, quibus mediantibus harum regionum merces in Indiæ Emporiis Aegyptiis vendebantur.

deducerem, niſi ejus teſtimonium, ut a Scriptore recentiore profectum, de noſtra ætate nimis forte dubium videretur.

Merces Arabiæ.

Ut vero pateat, quale fuerit Aegypti Commercium cum Arabia, merces perluſtrabimus ex hac regione devectas, ut & illas, quæ eo ducebantur. Deſerta Arabia, quod ipſum nomen teſtatur, commerciis minime apta, &, ſi loca quædam ad Sinum Perſicum excipiamus, penitus deſtituta. Petræa quoque ex parte inculta; illa tamen, quæ Aegypto propior, fertilior quoque eſt. Felix Arabia agrorum fertilitate; metallorum pretioſiorum abundantia; camelorum, boum oviumque copia; odorum præſtantia nulli cedebat regioni; merces ſuas, & Indicas, olim terreſtri itinere per Meſopo-

tamiam Syriamque, maritimo prius cum Phœnicibus postea cum Aegyptiis commutabat.

De Arabico Metallorum Commercio sub Ptolemæis hæc habet AGATARCHIDES, qui sub istis Regibus scripsit *f*): *Aurum sane in crustosis terræ illius*

f) Pag. 59. & 60. Sermo est de Terra Alilæorum & Cassandrinorum, qui sunt populi Arabiæ ad M. Rubrum, Cassanitis vel vicini, vel permixti.

Jungendus Strabo 16. 1123. 1125. ac 1130. & ad Agatarchidem, quem præ oculis habuisse videtur, corrigendus.

De Auro olim ex Arabia advecto Ezech. 28. 23. quo toto capite, occasione commercii Tyriorum, cujus destructio prædicitur, Merces Antiquorum recensentur; ubi videndi Commentatores, & præcipue horum princeps Grotius; conferenda etiam Quæstio 59. a Cl. Michaëlis Peregrinatoribus Danis proposita.

illius cuniculis ad magnam inveniunt copiam, non quale adhibita ſcientia & arte colliqueſcit e ramentis, ſed ſponte natum, quod Ἄπυρον *Græci ab eventu denominant; cujus portio minima non minor eſt olivæ oſſiculo, media granum meſpili adæquat, maxima cum nucibus regiis comparari meretur. Hoc perforatum inter lapillos pellucidos alternatim circa radices manuum geſtant & colla; & ad finitimos translatum vili pretio vendunt. Aeri enim triplum, ferro duplum auri rependunt; & argentum auri decuplum valet. Modus enim æſtimationis comparatur ad rationem abundantiæ & raritatis g).*

g) In tam vili auri pretio apud Arabes iſtud Commercium Aegyptiis debuit eſſe utiliſſimum; an vero ſemper ſic permanſerit videndum infra, cum agetur de mercibus Arabiæ illatis, ubi ulterius de iſto Metallorum commercio.

HAEC pro more exfcripfit DIODORUS SICULUS *h*), qui AGATARCHIDEM tamen non fequitur in æftimationis pretio, dum ait: *Ut autem hoc metalli*, auri, *genere abundant, fic æris & ferri penuria laborant, propterea hæc æquali auri pondere cum mercatoribus permutant.* Sive quod AGATARCHIDIS narratio ipfi non omnem fidem mereri vifa fuerit; five potius, quia hæc Ptolemæi Alexandri tempore, fub quo AGATARCHIDES fcripfit, alia fuere, quam fub Aulete, fub quo ifte vixit *i*); gente barbara longo cum Ptolemæis commercio tandem divitiarum

h) Lib. III. 213. De Copia fumma Auri apud Arabes multa idem Diod. Sic. 3. 215.

i) Diod. Sic. de fe ipfo 1. 53. teftatur fe in Aegyptum veniffe regnante Ptolemæo, qui novi Dionyfi nomen ufurpavit; is erat Auletes.

rum ſuarum pretia paulo magis cognoſcente.

Non minus divitiarum Arabes in *Aromatibus*, quam in auro ſuo habuere, de quibus Mercibus, huic regioni, juxta Veteres, fere propriis, nunc dicendum. Agatarchides ſub Ptolemæis hac de re ſic ſcripſit *k*). *Ad ipſas littorum crepidines largum naſcitur Balſamum & Caſia, longe alia, quam alibi habetur - - In mediterraneis frequentes & magnæ ſe attollunt ſilvæ; nam arbores præcelſæ Myrrhæ & Thuris, nec non Cinnamomi & Palmæ, & Calami*, (Aromatici) *& id genus aliorum exſurgunt.* Et idem Auctor alio loco

k) Pag. 61. Sermo eſt de Sabæorum regione omnium fertiliſſima, ditiſſimaque.

Conferantur Cl. Michëlis Quæſtiones Peregrinat. Danis propoſitæ N. 29. 91.

l) Pag. 64.

co *l*): *Porro cum nulla Solum hoc alia ferat ligna ad usus quottidianos Cinnamomum & Casiam urere, & ad ceteros vitæ usus adhibere necesse habent.*

Sic quoque Strabo *m*): *Apud hos*, Sabæos, *Thus & Myrrha & Cinnamomum nascitur, in ora etiam Balsamum.*

Supracitatis Aromatibus Plantisque pretiosis Arabiæ alii addunt Aloës ligna odorifera *n*), quamvis hæc præcipue ex India peterentur. Subjungunt

m) Pag. 1124. idem pag. 1129. de Regione Aromatifera. Conf. Beckerus de Myrrha Jenæ 1676.

n) Periplus M. Erythr. 16. Clar. Michaëlis Quæst. 43.

Origo Patria, accurataque descriptio præstantissimi genuini Agallochi Veteribns defuit, nec nobis probe cognita, quod etiam de arboribns Santalina Ligna præbentibus, fatendum est. De illa quoque, quæ Myrrham fundit, nondum rite constat.

jungunt etiam Ladanum *o*); & præcipue fructum Larimna *p*); de quo hæc habet AGATARCHIDES p. 64. *Vehunt*, Sabæi, *cum alia, tum fructum odoratum maxime; in ulteriore terra natum, Arabice Larimna dicitur, maxima inter cetera thymiamata fragrantia praeditus est.*

JAM vero notandum est Aromata ista fere soli tribui Arabiæ *q*); nam quam-

o) Plinius XII. 7. Herodotus Thalia: *Arabia*, - - *in qua sola omnium nascitur Thus, Myrrha, Casia, Cinnamomum, Ladanum.*

p) Strabo 1124. *Nascitur in Sabæis Larimnum suffitu odoratissimum.* Alii addunt Gummi Arabicum, sed hoc ipsa quoque Aegyptus habuit. Hasselquist 514. Et Plinius 13, 9. Sic Mel & Ceram Aegyptii ab Arabibus non sumserunt, quia ipsi hanc Arabiæ mercem possidebant, idque in magna copia.

q) De singulorum istorum Aromatum natura & patria, ex mente antiquorum &

quamvis nonnulla etiam ex aliis regionibus & præcipue ex India peterentur, tamen Alexandrini longe maximam illorum copiam hauriebant ex Felice Arabia. Thuris Myrrhæque fummus in Sacris ufus; horum pariter ac ceterorum Aromatum multum in luxu Veterum impendebatur *r*). Sed nulla regio,

Arabum, confulendus Olaus Celfius in Hierobotan. Multi autem ex recentioribus, & ut videtur non fine ratione, Cortices Aromaticos Arabiæ denegant, putantque fordidiffimos Arabes propterea de eorum natali folo tot fabulas excogitaffe, ne conftaret illos eos ex India petere, & cum maximo lucro vendere, quod præcipue de Cinnamomis, Cafiis, Calamis Aromaticis, obfcuriffimis Veterum mercibus, verum effe volunt; idem etiam fentiunt de Auro Arabiæ.

r) Multus Cinnamomorum, Cafiarum, Thurifque ufus in Unguentis Antiquorum pretiofis. Conferri queunt Martinelli de Amo-

regio, magis quam Aegyptus, illis opus habuit ad Balſamationes ſuas. Videmus hinc in Sacris Litteris Iſmaëlites jam talia Aegypto adferentes *s*). Hæc vero conditura ſub Ptolemæis adhuc in uſu fuit; illam, ut ſuo tempore adhibitam, deſcribit DIODORUS SICULUS *t*), qui ad finem Regni iſtius vixit. Juxta iſtum itaque Auctorem, ut & ſecundum HERODOTUM *u*), in Condimentis, præcipue pretioſioribus, ad-

mo & Calamo Aromat. Schenckius de Cinnamomo, Jenæ 1670.

s) Geneſ. 37. 25.

t) Lib. I. 110. Vix ac nevix mutantur hominum conſuetudines circa ſepeliendi modum, præcipue, ſi uti apud ſuperſtitioſiſſimos Aegyptios in Religione, imo forte etiam in civilibus fundantur principiis.

u) Lib. 2. pag. 135. Ed. H. Steph. Iſti Scriptores tres modos Balſamationis deſcribunt, ſed videntur multo plures fuiſſe.

adhibebantur Odores, Aromataque contufa plurima, nominatim vero Myrrha pura, Cafia, Cedria, & Glutinis loco parum illius Gummi, quod vocant Arabicum. Hæc materia obiter mihi fuit tangenda, quia ditiorum hominum, & fplendida ac vefana Sacrorum Animalium fepultura, magnam Arabicarum Mercium cônfumebat copiam. Ceterum de tota hac re confulendi Illuftr. Comes DE CAYLUS & Clariff. ROVELLE, qui illam egregia luce donarunt *x*).

PROGREDIMUR ad *Lapides Pretiofos & Marmora Arabiæ*, quæ non mi-

x) *Hift. de l'Académie R. des Infcript.* XXIII. 119. *Mémoires de l'Acad. R. des Sciences* 1750. pag. 123. fqq.

Aegyptii pro Thecis Mumiarum habebant optima Sycomori Ligna, nulli fere deftructioni per immenfos Sæculorum decurfus obnoxia, fed præter hæc pauciffima alia.

minima in commercio illius regionis fuere. Tradit itaque STRABO *y*) in Aurifodinis Arabiæ nafci Smaragdum & Beryllum. PLINIUS *z*) etiam inter Gemmas & Lapides Arabiæ refert Opalos, Sardonyches, Topazios, Callais, Amethyftos, Hyacinthos viles, Achates, Molochites. Idem Auctor, ut & DIODORUS SICULUS, & Auctor Peripli *a*), Lygdum, feu Lygdinum Arabiæ Marmor inter merces illius regionis recenfet. Ad pretiofiffi-

R ma

y) Pag. 1125.

z) Lib. 37. De Lapidibus Pretiofis Veterum, quæ materia obfcuriffima eft, & præcipue de iis, qui Arabiæ tribuuntur, optime egere Clar. Michaëlis in Quæftionibus eruditis Danis propofitis num. 97. 98. 99. Braunius de Veft. Sacerd. & nuperrimi Editores Theophrafti de Lapid.

a) Pag. 14. Conf. Caryophilus de Antiquis Marm. 125. de Albo Marmore Arabiæ.

ma Arabiæ quoque pertinent Margaritæ, quas Arabes, Sinum Perſicum incolentes, in alia Emporia detulere, & ibi vendidere *b*). Poſt Adamantem vero primum Margarita locum tenuit, de cujus vario pretio apud Veteres conſulendus eſt SALMASIUS in SOLINUM.

MERCIBUS Arabiæ etiam poſſunt annumerari Teſtudines, & Cinnabari Veterum, quod erat Sanguis Draconis; ex Dioſcoridis inſula præcipue petitum *c*).

Merces

b) Periplus XX. 20. *Os Maris Perſici, ubi plurimæ ſunt Oſtrei Pinicii* (Margaritarum) *Piſcationes.* Optimæ Margaritæ Veterum fuere Indicæ. Hodie adhuc in Sinu Perſico dives unionum piſcatio eſt. Ex ipſis margaritiferis conchis Antiqui aliquando, rarius tamen, ſplendidiora elaborabant opera.

c) Minium Nativum Antiquorum idem videtur quod noſtrum Cinnabari; aliquando

Merces Arabiæ illatæ.

NUNC diſpiciendum quænam Arabiæ illata fuerint pro comparandis illorum mercibus, in qua difficili Quæſtione optimum factu videtur Veterum loca, quæ lucem aliquam præbere poſſunt, adſcribere, & paucis quibuſdam commentariis illuſtrare. Sic itaque hac de re ſcribit AGATARCHIDES *d*): Arabes - - *magnos impendunt ſumtus non ſolum in Toreumata & Sculpturas admirabiles & poculorum varietatem.* Hunc exſcripſit DIODORUS SICULUS *e*), qui ait: *Arabes in commerciis, quando aliquid diſtrahunt, pro exi-*

tamen Minii nomen apud Veteres latius adhibetur de colore miniaceo artificiali. Conf. *Receuil d'Antiq. de M. le Comte de Caylus* T. IV. 224.

d) Pag. 65.

e) Lib. III. 215.

gui ponderis merce plurimum aufferunt pretii, præ omnibus, qui argentum rebus ſuis commutant. Ideoque cum per omnium memoriam, propter longinquitatem ſitus, in nullius unquam poteſtatem venerint, aurique & argenti copiæ quaſi circumfluant, maxime Sabis, ubi regia illis ſedes, Toreumata omnis generis & ex argento auroque pocula, lectos etiam, & tripodes argenteis fulcris - - poſſident.

JUNGENDUS PLINIUS *f*): *In Univerſum gentes ditiſſimæ*, (de Arabibus)

f) Lib. VI. 28. De ſuo quidem tempore loquitur, ſed valde probabile eodem modo eos etiam antea commercium exercuiſſe, vel forte adhuc minus mercium ab aliis accepiſſe, ea enim, quibus gens putat ſe opus habere, ſemper creſcunt, potius quam decreſcunt. Quoad Auri tamen commercium res ſe aliter habuiſſe videtur, ut ſupra probabile reddere tentavimus, ex comparatione Agatarchidis cum Diodoro Siculo, quæ Sectio conferenda,

bus) *ut apud quas maximæ opes Romanorum, Parthorumque ſubſiſtant, vendentibus quæ e mari aut Syria recipiant, nil invicem redimentibus.*

CONSENTIT STRABO *g*): *Aelium Gallum Auguſtus Cæſar in Arabiam miſit, ut eas gentes & loca perluſtraret. - - Audiverat eos jam inde a multo tempore ditiſſimos eſſe h), qui auro & argento & pretioſis lapidibus aromata permutarent, & nihil in res aliunde impenderent.*

ALITER paululum idem Auctor *i*), dum ait: *Quædam indigena ſunt,*

quia alias hæc fere aperto fronte cum illis pugnarent.

g) Pag. 1126.

h) Hoc ipſum probat antiquitatem Commercii illorum ſub Ptolemæis. Conferendus Plinius Lib. XII. cap. 18.

i) Pag. 1130.

Arabibus, *Aurum*, *Argentum*, *& plurima ex Aromatibus. Aes*, *Ferrum*, *& Vestes Purpureas*, *& Styracem*, *& Crocum*, *& Costum*, *& Cœlaturas*, *& Signa*, *& Tabulas aliunde habent.*

PATET ex his omnibus Commercium Arabicum, præcipue Felicis Arabiæ fuisse tale, ut Aromata vel sua, vel aliunde acquisita, peregrinis majore venderent pretio, parumque exterarum rerum compararent, unde sibi aliorum divitias attraxere; exceptis nonnullis mercibus, quas nunc ex scriptoribus jam citatis, & ex Periplo Maris Erythrei *k*), proferam, qui cum iis consentit Auctoribus, qui sub Ptolemæis scripsere.

SUMEBANT itaque Styracem, sed hunc non per Ptolemæorum Negotiatores, verum ex Syria habuere

k) Pag. 13. 14. 15.

buere *l*); ab iisdem sumserunt præstantes Equos pro Regibus suis. Ab Indis Crocum, Othonia, ab Aegyptiis præter Pecuniam *m*), Abollas, Lodices; ex Lino illorum fabricatas Vestes; alias pretiosiores operis quoque Aegyptii; parum vini, ac parum frumenti. Ab iisdem habebant etiam alienas Merces per Alexandrinorum commercia advectas, quibus annumeramus Stannum,

R 4 Aes,

l) Plinius XII. 17. *Arabes ex Syria revehunt Styracem.* Nemini dubium esse potest heic non de Liquido Styrace (Storace) sed de Lacrymis benefragrantibus Styracis arboris sermonem esse; quod Harduinus non animadvertisse videtur; Plinius arborem cotoneo malo comparans nullum controversiæ locum relinquit.

m) Sub ultimis scilicet Ptolemæis multum sumebant pecuniæ; sub prioribus illud Commercium Aegypto utilius, cum Auri magnam inde asportarent copiam.

Aes, & præcipue Ferrum *n*), Purpuram, Vafa egregia, cœlata opera, elegantes ftatuas; quamvis de illuftribus iftis Artificum operibus, in quæ Arabes multas fummas impendebant, dubitari queat, num Aegyptii omnia a Græcis hauferint, & an non potius, artibus fub Ptolemæis in Aegypto florentibus, multa ibi conflata fuerint.

SECTIO III.

DE COMMERCIIS ET NAVIGATIONIBUS PTOLEMAEORUM IN MARI MEDITERRANEO.

NUNC explicatis Navigationibus & Commerciis Aegyptiorum per Mare Rubrum Oceanumque inftitutis de illis difqui-

n) Vide Quæft. 39. a Clar. Michaëlis Peregrinat. Danis propofitam.

difquirendum, quæ in Mediterraneo Mari faciebant. Si Recentiores heic evolvo video illos pauca hac de re memoriæ prodidiffe. Eques D'ARC, qui ingeniofam Hiftoriam Commercii confcripfit, de hac materia fic loquitur o): *Malgré les Ports des Egyptiens dans la Mediterranée le Commerce d'Occident fe bornoit pour eux à la Gréce, & à la Baffe Afie, les Carthaginois étant en poffeffion de tout le refte.* Eodem fere modo judicat Clar. MELOT p),

o) *Hiftoire du Commerce.* Tomo 2. 59. Præter hunc Auctorem, ac fœpius laudatum Huetium, de Commercio Veterum legi merentur ea, quæ Rollinus in fingulari fectione antiquæ hiftoriæ, ac Scriptores Brefslavienfes Hift. Univ. Commerciorum Navigationumque, hac de re vulgaverunt.

p) *Mém. de l'Acad. R. des Infcript. & B. L. XVI. Sur les Revolutions du Commerce des Isles Britanniques* pag. 160. Sic jam fen-

Commerciorum Veterum peritus enarrator, qui putat destructa Tyro Aegyptios occupasse illam Commercii eorum partem, quam faciebant in Oriente; Carthaginienses vero eam, quam Tyrii in Occidente exercebant.

Quae vero laudati Auctores de Occidentis Commercio sub Ptolemæis heic memoriæ prodiderunt, illa Veterum

ferat Huetius in *Hist. du Comm.* p. 305, qui ait: *Il est vrai, que Ptolemée Philadelphe ne negligea rien pour faire fleurir en Egypte le Commerce d'Orient, & celui d'Ethiopie & de la Troglodytique; mais on ne voit point, qu'il ait pris un soin particulier du Commerce, qui se faisoit au nord & au couchant; il semble, que son application se soit bornée aux commodités, que l'Egypte tiroit de ces Marchandises d'Orient, & au profit, qui lui en revenoit, quand il les avoit fait conduire à Alexandrie, pour être distribuées de là dans la Mer Mediterranée, sans qu'il paroisse qu'il se soit appliqué au détail de ce debit.*

rum nituntur monumentis, & magis adhuc ſilentio iſtorum de Occidentis Commercio; de illo enim, cui Aegyptii in Oriente operam dabant, ubique loquuntur, nullibi fere de altero; ex quibus non certo quidem, veroſimiliter tamen, patet Aegyptios ex Oriente in ſuam regionem advexiſſe ejus divitias, illas vero, quæ ſuperfluæ iis fuerunt, una cum telluris ſuæ mercibus Alexandriæ venundaſſe *q*); exſpectaviſſeque donec naves Græciæ, aliæque, Orientis mercibus inhiantes, quæ illo tempore ſummam luxus Veterum partem abſolvebant, illas apud ſe quærerent, & Occidentalibus mercibus compararent, quibus & pro ſe, & pro ſuo Orientali commercio opus habuere. Navigationes Orientis tutiores, divitiarum

q) De Carthaginienſium Navibus, quæ venerunt Alexandriam, infra dicendum erit.

rum fecunda mater, fere folis relictæ fuere Aegyptiis. Illæ, quæ in Mari Mediterraneo fiebant, ob plures rationes minus fecuræ, qua propter illis fe non dedere Aegyptii; quamvis enim præcipue priores ex Ptolemæis in Mari Mediterraneo naves haberent plurimas, tamen illis non fœpe utebantur ad exportandas merces, fed ad tuendas fibi fubditas regiones, & naves, non fuas, fed exteras commercii caufa Alexandriam appellentes.

ANTEQUAM vero ulterius pergam heic citanda funt loca THEOCRITI de Ptolemæo Philadelpho ad rem præfentem maxime facientia *r*); dicit itaque de Rege ifto:

Πολλᾶσ δὲ κρατέει γαίησ, πολλᾶσ
δ' Θαλάσσησ.

Et

r) Idyll. XVII.

Et iterum:

- - - Θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα
Καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται
Πτολεμαίῳ.

Haec intelligenda ſunt de Mari Lycio, Pamphylio, & quod interius eſt reliquo; ad illud enim ſpectat Imperium Maris Ptolemæo Philadelpho tributum. Qua occaſione animadvertendum Veteres de imperio Maris, & præcipue iſtius, de quo nobis ſermo eſt, ſœpe loqui *s*); Recentiorum autem multi id capiunt, ſi ita loqui fas eſt, de dominii jure per occupationem aquiſito, quæ eſt ſententia Seldeni, Vossii, aliorumque; ſunt ab altera parte Eruditi, qui id intelligunt de dominio in

s) Conſulendi ſunt præ ceteris Cl. Seldenus de Mari Clauſo, ſeu de Dominio Maris; & Cl. Melot, in *Mémoires de l'Acad. R. des Inſcr. & B. L.* T. 23. p. 152.

in majori fortiorique tantum navium copia, indeque orta violentia, fundato, quorum opinioni nos quoque accedimus. CASTOR RHODIUS, cujus fragmenta EUSEBIUS fervavit, Maris imperium fequentibus tribuit gentibus, Cretenfibus, Lydiis, Pelafgiis, Thracibus, Rhodiis, Phrygibus, Cypriis, Phœnicibus, Aegyptiis fub Pfammide & Bocchoride, Milefiis, Caribus, Lesbiis, Phoceenfibus, Corinthiis, Jonibus, Naxiis, Eretrienfibus, & Aeginetis *t*).

SED redeamus ad propofitum, ut videamus de præcipuis harum regionum urbibus, quæ cum Ptolemæis com-

t) His non immoramur, quia certo nobis conftat Caftorem gentes, quæ dominium Maris habuerunt, non eo, quo debuit, ordine enumerare, nec iis, quibus conveniebat temporibus, tribuere.

commercio fuere junctæ, sic ut in Portubus illorum Mediterraneis Merces & Aegyptias & Aethiopicas, & Arabicas, & Indicas, peterent. Dolemus ob materiæ summam difficultatem nos fere nihil præter conjecturas, easque ne quidem in ordinem digestas, exhibere posse. Dolemus nos multa afferere, quæ non disertis nituntur Scriptorum Veterum locis, sed quæ potius consideranda sunt, ut propositiones ex collatione plurium antiquorum Auctorum erutæ.

De Commercio Aegyptiorum sub Ptolemæis cum Græcia & Minore Asia. Rhodus.

Ordiamur ab Insulis Maris Mediterranei Aegypto vicinis, inter quas ex primis numeranda utique *Rhodus*, a natura ad Commercia Navigatione-

tionesque condita, cum fere æquali intervallo ab Aegypto Euxinoque Ponto distaret *u*).

Ista itaque Urbs magna & magnifica post obitum Alexandri M. iterum libera nullis se voluit dissidiis, nullis bellis implicare, studuitque ut cum omnibus Principibus amicitiam coleret *x*). Pendebat tamen animo ad Ptolemæum hujus nominis primum, fœderatum suum, qui ipsis Aegypti Portus aperuit, teste Diod. Sicu-

LO

u) De Rhodiorum imperio Maris & navali peritia videndus præ ceteris Meursius in Rhodo 54. Jungendus Aristides in Orat. Rhodiaca, qui etiam navium ex Aegypto Rhodum redeuntium mentionem facit.

x) Sic facere debent gentes, quæ commerciis vivunt; sic semper egere Rhodii, donec se Romæ, ut commercia non exercenti Urbi jungentes, libertatem perdidere.

LOY), qui ait: *Rhodii juncti cum omnibus Dynastis amicitia, ne cui jure secum expostulandi ansam præberent sedulo cavebant; animis tamen ad Ptolemæum magis inclinabant, nam maximam commodorum suorum partem z) ex Aegypto per mercatores eo commeantes accipiebant, totaque adeo civitas illius regni opibus alebatur.*

SED Antigonus Rhodi auctoritatem, peritiam in navalibus, propensionemque ad Ptolemæum sentiens, omni cura illius incolas ab eo avertere conatus est; verum ipsi semper restitere, unde damna multa & haud levem obsidionem perpessi sunt, quæ, cum per

S annum

y) Lib. X. pag. 464. Addendus Plutarchus in Demetr. 28. T. 5. Ed. Aug. Briani.

z) Sequimur Versionem Vulgatam; in Græco est προσόδων τὰς πλείςας, Proventus, reditus, emolumenta.

annum integrum duraffet, tandem cum Demetrio Antigoni filio pacem fecere *a*), his conditionibus, *ut focii Antigoni forent & Demetrii præterquam contra Ptolemæum.*

VIDEMUS in toto hoc negotio gentem commercia & quidem illa, quæ cum Aegypto exercebat, femper præ oculis habentem. Loco autem DIODORI SICULI nunc citato & alter videtur jungendus, qui fic habet: *Antigonus quendam e legatis fuis jufferat claffem in eos*, Rhodios, *ducere, cum mandatis, ut ex Rhodo in Aegyptum navigantes direptis mercibus abftraheret b*).

Ex

a) Notiffimum eft hac occafione Ptolemæum illis auxilium ferentem Soterem fuiffe cognominatum, & fummos apud illos honores meruiffe. Plutarchus & Diod. Sic. locis citatis; *Barbeirac Hiftoire des Anciens Traitez* T. I. Art. 3.

b) Ptolemæus Philopator erga Rhodios

Ex his intelligitur Rhodios non exſpectaſſe naves Aegypti merces ad ſe adferentes, ſed, ut erant nauticæ rei periti, ipſos Aegyptum adiiſſe, ibique ſuas cum peregrinis mercibus permutaſſe. Quænam autem mercimonia Aegypto hac tempeſtate, de qua ſermo eſt, per vicinos Rhodios illata, & quænam inde fuerint reportata, certiſſime definiri nequit. Veroſimile eſt illos ex Aegypto omnes fere ejus regionis proprias merces exportaſſe, & præcipue frumentum, quo propterea opus habuere, quia Inſula illorum parva fuit, & magna hominum copia referta. Huc nos ducere videtur nunc laudatus DIODORUS SICULUS, dum ait, καὶ τὸ σύνολον τρέφεσθαι τὴν πόλιν, (Rhodum), ἀπὸ ταύτης τῆς Βασιλείας.

S 2

ſe maxime liberalem oſtendit deſtructo per terræmotum Coloſſo illorum.

λεάσ. (Aegypto) c). Cum vero Commerciis valde dediti fuerint non modo merces Aegypti sibi necessarias in illius emporiis acquirebant, sed etiam illas, quas Aegyptii ex Oriente ductas Alexandriæ Occidenti vendebant. Reddebant autem Aegyptiis, nisi fallor, ex mercimoniis regionis suæ Ficus, Glutinum, Picem & Cerussam; ex operibus artificum suorum celebriorum Picturas, Vasa, Signaque multa d). Reddebant iisdem præter merces regionis suæ & alias, quas per commercium suum Occidentis acquirebant, illud enim fuit valde extensum; ejus gratia in Hispaniam, Siciliam, Lyciam, Cariam, Joniam, aliasque plures regiones

c) Rhodii etiam ex Sicilia frumentum petebant. Polybii Legat. 893. Edit. Casauboni Paris. 1609.

d) Meursii Rhodus 75.

nes colonias misere *e*). Et sic accidisse videtur, ut sub Ptolemæis Aegyptii maximam peregrinarum Occidentalium Mercium copiam a vicinis amicisque Rhodiis acciperent, quibus contra & suæ regionis & totius Orientis merces Alexandriæ vendebant.

Sed antequam ulterius pergam expendendus mihi est penitus singularis locus Ammiani Marcellini *f*), qui ad Commercia & Navigationes Ptolemæorum pertinet; ille vero sic habet: *Insula Pharos - - a civitatis Alexandriæ littore mille passibus dispa-*

e) Meursii Rhodus 57. A vero alienum non videtur Ptolemæos etiam quasdam suarum navium in vicina amicaque Rhodo construi curavisse, cum hæc peritiam & ligna habuerit his usibus aptissima, Aegyptus autem fere nulla. Hodie adhuc Rhodus lignum & naves Aegypto exhibet.

f) Lib. XXII.

diſparata Rhodiorum erat obnoxia vecti-gali. Quod cum inde quidam nimium quantum petituri veniſſent, femina, Cleopatra, *callida ſemper in fraudes, ſolennium ſpecie feriarum, iiſdem Publicanis ſecum ad ſuburbana perductis, opus juſſerat irrequietis laboribus conſummari, & ſeptem diebus totidem Stadia molibus jactis in mare, ſolo propinquanti terræ ſunt vindicatæ. Quo cum vehiculo ingreſſa, errare ait Rhodios, Inſularum non continentis portorium flagitantes.*

Si hæc vera eſſent ſequeretur Rhodios Pharum ante Alexandriam, uti Inſulam, ſibi habuiſſe vectigalem, idque ſub Ptolemæis, donec Cleopatra illud eluderet Pharum urbi ſic jungendo, ut jam non amplius Inſula, ſed continens eſſet. Sunt in hac narratione non pauca, quæ fidem mereri videntur; alia, quæ nullam. Rhodios plu-

rimas

rimas vicinas Insulas sibi subditas habuisse liquet ex PLINIO *g*); notum est porro illos Maris Imperium etiam tenuisse. Imo Cleopatra, etsi Pharum non exstruxit, ut inepte volunt nonnulli, tamen illam per Heptastadium urbi junxit mole perpetua, cum antea per pontes esset interrupta communicatio *h*).

SED an ab altera parte verosimile est Philadelphum & Evergetem Primum, magnos illos maris dominos, permisisse, ut Pharus ante Alexandriam in Commerciorum suorum gratiam egregiis monumentis exornata, Rhodo vectigal penderet; nisi forte dicere velimus Rhodios demum post istos Reges hoc jus, quod usque ad

g) Lib. V. 36. Veterum testimonia de hac re sedulo congessit Meursius Rhodi I. 53.

h) Vossius ad Melam Lib. 2.

Cleopatram poffederunt, accepiffe *i*).

Cyprus.

Cypri quoque nomen in illis Infulis numerandum, quæ commercio cum Ptolemæis junctæ fuerunt. Cyprus Aegypto maxime vicina ad iftud regnum fub Ptolemæis pertinuit, inde a primo nominis iftius Rege ufque ad Auletem *k*), fub quo Romani illam injufte

i) Conftat ex vetuftis Scriptoribus Rhodios Piratas ad commune Commercii bonum fuis fumtibus deleviffe, an forte inde Phari incolæ, vicinæque Infulæ, ipfis hac de caufa vectigal folvebant, eodem fere modo quo Melitenfes a nobis tributa accipiunt. Sed nullius momenti funt tales conjecturæ fine Antiquorum teftimonio.

k) Monum. Adulit. & Strabo 13. 1003. *Ab eo tempore, quo Ptolemæi Reges Aegyptum obtinuerunt, Cyprus quoque in eorum venit poteftatem.*

juſte arripuerunt; poſtea pro brevi tempore Aegyptiis reddita de novo in Romanorum ditionem redacta eſt. Sed non noſtri nunc argumenti videtur Cypri variam hac ætate fortunam perluſtrare, de ſolis enim quæritur commerciis. Non legimus quidem ſub Ptolemæis hanc gentem illis valde deditam fuiſſe *l*), dubitari tamen nequit Reges hos ex iſta regione ſibi ſubdita, ſilviſque referta *m*), naves conſtrui curaviſſe; indeque exportaſſe vini oleique parum, Styracem, Unguenta varia, Lapides quoſdam pretioſos, Cadmiam *n*);

S 5 præ-

l) Habuerunt aliquando Imperium Maris, ut ſuo loco vidimus, ex quo & divitias acquiſivere; ſed hæc non iſta ſpectant tempora.

m) Strabo XIV. De Silvis Cypri ad naves conficiendas aptis.

n) De his Mercibus Cypriorum Meur-

præcipue vero multum Aeris Cyprii & pro se, & pro exteris, quod etiam nonnunquam cum argento miscere solebant *o*). Mediante itaque hac Insula, uti ope Rhodi, Aegyptii Orientis merces cum Occidentalibus permutasse videntur.

Creta, aliæque Insulæ Maris Cretici, Icarii, atque Aegei.

QUAMVIS *Creta* non multum ab Aegypto distaret, atque variarum mercium copia referta esset, non videmus tamen Ptolemæos cum illa commercia majoris momenti exercuisse *p*). Antiquissimis

sius in Cypro L. 2. c. 1. De optima Cadmia Cypria præcipue Plinius 34. 10.

o) Plinius 32. 9.

p) Ptolemæi Philopatoris cura, etsi inutilis, in ædificandis muris Gortynæ, urbis

quiſſimis temporibus Cretenſes Maris Domini fuere, illis autem, de quibus loquimur, Piratæ potius quam Commerciorum fautores; milites magis, quam negotiatores, navigatoreſque.

Transimus ad alias *Inſulas Maris Cretici, Icarii, atque Aegei*, quarum multæ, præcipue primis Ptolemæorum temporibus Aegypti Regibus fuere ſubditæ, teſte Theocrito *q*), qui de Ptolemæo Philadelpho ait:

Et quidem Phœniciæ partem obtinet
& Arabiæ,
Et Syriæ, Lybiæque, nigrorumque
Aethiopum,

Pam-

Cretæ, oſtendit ejus cum hac Inſula ſocietatem. Strabo pag. 732.

Benjamin Tudel. ſcribit, & non perſuadet, Aegyptios aliquando Cretam tenuiſſe; fuit tamen vetuſtiſſimo ævo communicatio inter has Gentes, quod Labyrinthus & multa probant alia.

q) Idyll. XVII.

Pamphyliis vero & bellicosis Caribus,
Atque Insulis Cycladibus.

ET MONUMENTUM ADULITANUM de Ptolemæo Evergete I. ait: *Accepto a Patre*, Philadelpho, *Regno Aegypti, Lybiæ, Syriæ, Phœniciæ, Cypri, Lyciæ, Cariæ, Pamphiliæ, & Cycladum Insularum r).*

QUAENAM Insulæ proprie heic per Cyclades intelligantur dictu est difficile, aut potius impossibile; dissentit in illis enumerandis a STRABONE ARTEMIDORUS, ab utroque SCYLAX, & ab istis PLINIUS. Consentiunt tamen omnes Delum illarum fere esse centrum. *Delos*, ait CICERO *s*), *quo*

r) Ex eodem monumento constat Evergetem huic imperio in istis oris adjecisse Joniam, Hellespontum, Thraciam.

s) Pro Lege Manil. 18.

quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis. STRABO *t*) quoque multis de Urbis iſtius commerciis loquitur, quæ præcipue auctæ fuerunt, deſtructis Carthagine & Corintho. Hæc vero Inſula Commerciis valde dedita, & cum ex Cycladibus eſſet Aegypto ſub primis Ptolemæis ſubjecta, ſine dubio Servos & Aes ſuum cum mercibus Aegypti Orientiſque commutabat, quod etiam feciſſe videntur ceteræ Aegei Maris Inſulæ celebriores, Melos, Cimolus, Siphnus, Seriphus, Naxus, Cythnus, Tenos, Chios, Lesbos *u*), & Samos fer-

t) Lib. XIV. 985. X. 744.

u) Hæ ſunt præcipuæ Merces iſtarum Inſularum: Melos præbebat Vinum & Ferrum, Cimolus Argentum, Siphnus Plumbum, Seriphus Ferrum, Naxus Vinum, Cythnus Caſeos, Tenos & Lesbos Vinum, Chios Vi-

fertilissima, cujus incolæ jam vetustis temporibus commercii causa in Aegyptum navigaverunt *x*).

Hac arrepta occasione mentio facienda est Græcorum illorum, qui ex Insulis æque ac vicino continente jam ante Ptolemæorum tempora in Aegypto confidentes commercia exercuere, quia veri non caret specie Alexandria, veluti Orientalium mercium centro constituta, illos commercia sua cum gentibus, ex quibus exierunt, adhuc auxisse. Sub Psammetycho itaque Græcorum in Aegypto fautore Carii Jonesque ibi sedes fixere *y*). Postea autem

num & Mastichen, quam ipsa Aegyptus habuit, sed viliorem.

x) Herodotus L. 2. p. 180. L. 4. p. 310.

y) Diod. Sicul. pag. 78. *Primus certe Aegypti Regum*, Psammetychus, *gentibus aliis regionis imperia patefecit, magnamque navigatoribus exterorum securitatem præbuit.*

autem ſub Amaſi, magno non modo Græcorum ſed & Commerciorum amico, plures Græci Negotiationes in Aegypto exercentes ab hoc Rege beneficiis excepti ſunt, de quibus hoc teſtatur HERODOTUS z), *Amaſis porro, quoniam Græcorum erat ſtudioſus, cum alia in quoſdam Græcos officia contulit, tum iis qui in Aegypto conſiderunt, facultatem Naucratin Urbem incolendi; qui vero illorum nollent illic habitare, ſed navigando negotiari, iis fecit poteſtatem certis in locis aras & ſana exſtruendi; & maximum quidem eorum ſanum atque celeberrimum vocatur Græcum. Civitates autem, quæ communiter illud extruxerunt, ſunt Jonum quidem Chius, Teus, Phocæa, Clazomenæ; Dorum autem Rhodus, Cnidus, Halicarnaſſus, Phaſelis; Aeolum vero una Mytilene. Harum Civitatum*

z) Lib. 2. 180. Steph.

vitatum hoc fanum eſt, & ab his præfecti emporii præbentur. - - Separatim tamen ædificarunt Aeginetæ quidem Jovis, Samii autem Junonis, Mileſii vero Apollinis fanum. Nam vetus Emporium erat ſola Naucratis a).

VIDEMUS itaque Græcos Commerciorum cauſa ante Ptolemæos in Aegyptum commeantes, & nonnullos ex illis ibi ſedes figentes; an autem non penitus eſt vero ſimile iſtos Commercia ſua non modo continuaſſe, ſed & extendiſſe illis temporibus, quibus Aegyptus plus quam antea Negotiatoribus utilis? An veri ſpecie caret Ptolemæos, magnos illos Commerciorum Fautores, omni cura in id incubuiſſe, ut

a) Naucratin hanc condidere Mileſii tum temporis Maris Imperium tenentes, teſtibus Strabone 17, 1153. & Stephano Byzantino in hac voce.

ut Græci iſti, quemadmodum antea fecerunt, & magis adhuc, ad eos commearent, ut Occidentis merces pro Orientalibus in Portibus ſuis commutarent? Dubium eſt hoc argumentum, ſed in re obſcura, ne ea quidem negligenda videntur, quæ vel minimam lucis ſcintillam exhibere poſſunt.

In *Minoris Aſiæ ora* Ptolemæus Philadelphus, & Reges inſequentes, Claſſibus, quas in his oris tenebant, ſubditas ſibi habuere Pamphyliam, Lyciam, Cariam, & nonnunquam etiam Ciliciam, quod patet ex Theocriti Id. 17. ex Adulitano Monumento, & ex diviſione Regni Aegyptii, quam Antiochus Magnus cum Philippo Rege Macedoniæ poſt Philopatoris mortem meditabatur.

Commercia vero cum his gentibus non videntur inſtituiſſe; contenti,

ti, fi illæ ut milites in copiis fuis arma ferre voluerunt; piratæ enim erant pleræque iftarum gentium, commerciis infefti, negotiatoribus invifi, fœpe illos vexantes, ab illis fœpe vexati *b*).

Commercia cum Corinthiis & Athenienfibus.

EA, quæ nunc attulimus de Commercio Infularum Græciæ, & recenfio præcipuorum locorum Minoris Afiæ, quæ negotiationum caufa cum Aegyptiis junctæ fuiffe videntur, adhuc certiora funt illis quæ proponemus *de Navigationibus Corinthiorum & Athenienfium* Alexandriam inftitutis. Illas fub Ptolemæis locum habuiffe fuadet credere commercii apud iftas gentes celebritas, amicitia Athenienfium cum iftis Regibus ubique memorata *c*); commer-

b) Præcipue adeundus Strabo p. 985.

c) Sic e. g. notum fœdus inter Ptolem.

mercium id jam ante Ptolemæos frequentatum, ut inter gentem affinem; ex hac enim Urbe Plato olim Aegypto oleum attulisse dicitur *d*). Quis itaque credet hos Negotiatores postea Portum Alexandriæ, omnium commerciorum metropoleos, neglexisse.

De Corintho & hoc addendum Athenaeum *e*) solennem aliquam sumtuosissimamque nobis describere Pompam a Ptolemæo Philadelpho in-

T 2 stitu-

Philad. cum Atheniensibus & Lacædemoniis contra Antigonum Gonatum.

d) De Oleo, Viatico Platonis, in itinere Aegypti, agit Plutarchus in Vita Solonis p. 174. T. I. Edit. Aug. Briani.

e) Lib. V. 196. Descriptio hujus Pompæ Philadelphi tangenda fuit, tum, quia Corintho lucem præbet, tum, ut testimonium Luxus illorum temporum; jam vero historia Luxus est ex præcipuis partibus historiæ commerciorum.

ftitutam, in qua Signa Marmorea, pictæ Tabulæ, Veftes, Tapeta picturis exornata, Vafa, Scuta, Lecti, Tripodes ex auro elaborati, omniaque pretiofa Aethiopiæ, Arabiæ, Indiæ, Græciæque occurrebant, fic ut pateat, Ptolemæum in hac Pompa voluiffe declarare, quantos thefauros, & quam egregias res commerciis fuis comparaverit; jam vero inter præcipua fplendidi illius apparatus ornamenta occurrebant etiam Vafa Corinthia; imo Urbes multæ in ea repræfentatæ fuere, inter quas Corinthus civitas nobiliffima opulentiffimaque Ptolemæo proxime erat adjecta, ut fignificaretur amicitia commerciumque hujus Regis, cum ifta Artificum Negotiatorumque fede inftitutum.

De iis vero Græcorum Negotiatoribus, qui ultra Tænarum funt Promontorium, aut dubium eft, aut negandum,

gandum, quod magna copia ſub prioribus Ptolemæis in Aegyptum commearint; ultimis autem regni iſtius temporibus ipſi Aegyptii uſque in Italiam navigaverunt, de quo *Commercio Puteolitano*, ut de re gravi eadem, ac difficili, nunc dicendum reſtat *f*).

Commercium Puteolitanum.

Si Romanorum cum Aegyptiis amicitiam, quæ jam ſub Ptolemæo Philadelpho cœpit *g*), conſideramus, & quæ his Regibus Aegyptum tenentibus

f) Siciliam cum Ptolemæis commercio junctam fuiſſe afferere non audemus; legimus tamen apud Athenæum Lib. V. cap. 10. & 11. Hieronem, ſub quo illius ſtatus fuit maxime florens, Philadelpho dono miſiſſe navem egregiam maximamque; item alia dona, præcipue res ad victum neceſſarias, fame Aegyptum opprimente.

g) Ptolem. Philad. Legatos miſit Romam, poſt geſtum cum Pyrrho bellum.

tibus femper continuata, tum vero fimile videri poffet Aegyptios commercio cum Romanis fuiffe junctos jam vetuftioribus Regni iftius temporibus, quod quidem nobis negandum videtur *h*). Verum tamen eft ab altera parte jam ante Aegyptum in Provinciæ formam redactam Navigationes in illorum gratiam cum mercibus in Aegypto inftitutas fuiffe; idque liquet ex CICERONIS Oratione pro Rabirio Pofthumo, quæ æternum monumentum erit ingratitudinis Ptolemæi Auletis, qui erga Romanum iftum civem fefe injuftiffime gefferat. Litem non defcribimus, fufficiat nobis allegaffe illum locum CICERONIS, qui ad rem no-

h) Infra etiam, occafione Carthaginis afferemus aliquid, quod fuadet, ut negemus commercium antiquum Italiæ cum Aegypto.

i) Pro Rab. Pofth. 39.

noſtram maxime facit *i*); is autem ita habet: *At permutata aliunde pecunia eſt, eductæ naves Poſthumi Puteolis ſunt; auditæ viſæque merces, fallaces quidem & fucoſæ, chartis, & linteis, & vitro delatæ, quibus cum multæ naves refertæ fuiſſent, una non patuit parva. Cataplus ille Puteolanus, ſermo illius temporis, vectorumque curſus atque oſtentatio, tum ſubinviſum apud malevolos Poſthumi nomen propter opinionem pecuniæ neſcio quam, æſtatem unam, non plures, aures refuſit illis ſermonibus.*

PATET ex hoc loco jam temporibus Ptolemæi Auletis ex Aegypto Naves Puteolos veniſſe mercibus Aegyptiis onuſtas, ſub quibus juxta Romanos latitabant aliæ pretioſiores Rab. Poſthumo deſtinatæ. Dein vero Aegypto in Provinciam redacta quotannis inde Naves Puteolos cum mercibus Alexandrinis contendebant, quam

Claffem nonnulli *Cataplum*, alii *Pharium Annum* dixere; qua de re ubique Veteres & ubique loquuntur Recentiores, quos in notis citaffe fatis erit, cum de pofterioribus heic fermo fit temporibus *k*).

FRUMENTUM Romani ex Sicilia, Sardiniaque habuere; dein ex Africa & Aegypto *l*); fed jam vetuftiori ævo accidit, notante POLYBIO *m*), ut fub Ptolemæo, (cujus nomen tacet) Urbe fame preffa ab Aegyptiis frumentum peteretur. De ceteris autem Alexandrinis mercibus fuo ubique loco pro-

k) Cafaubonus ad Suetonii Aug. 98. Jac. Hafæus de Navibus Alexandrinis D. Paulum in Italiam deferentibus ad Act. Ap. 27, 6. 28, 11. Kunzius de Vexillo Navis Alexandrinæ, qua Paulus in Italiam vectus eft. Barthius ad Statium.

l) Lipfius de Frumentatione I. Elect. 7.

m) Polybii Legationes 784.

probabimus illas, præcipue majori copia, Augufti demum temporibus Romæ vifas fuiffe *n*).

Littus Africæ, inde a Lybia, ufque ad Mauritaniam.

Cum Mediterranei Maris Navigationes & Commercia explicemus, fermo quoque faciendus eft Littoris Africæ inde a Lybia ufque ad Mauritaniam, in qua regione Aegyptii vicinam fibi Lybiam, Cyrenemque habuere fubditam *o*). Totum vero illud

n) De Margaritis id afferit Plinius 9, 35. De Vitro, Colocafia, aliifque idem dici poteft, ut & de Serico. Lucanus 10, 109.

Explicuitque fuos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in fæcula luxus.

o) Theocritus Idyll. XVII. Monum. Adulit. Strabo XVII. 1140.

Commercium Carthaginienfibus reliquiffe videntur *p*); qui illorum Emporia cum mercibus Occidentis adiere, eorumque amici fuere. Natio ifta, navigationis peritiffima, commerciorum avida, Sardiniam, Balearides, partem Hifpaniæ, partemque poffedit Siciliæ. Egregios de gente fua viros ad luftrandas exteras regiones miferat; commercia fua quam late potuit extenderat.

CARTHAGINIENSES Aegypto afferebant merces fibi proprias, quales funt Oleum, pelles animalium, & multa ad navium ftructuram neceffaria; afferebant etiam merces regionum fibi fuoque commercio fubditarum; ut Argentum ex Hifpania; Plumbum, & Stan-

p) Conftat ex Hiftòria Ptolemæos focios Romanorum fuiffe, ut & Carthaginienfium, hinc etiam eos noluiffe iftis fubfidia, quæ petebant, exhibere.

Stannum ex Britanniæ Infulis. Sumebant contra merces ipfius Aegypti; ceteras enim, quæ Alexandriæ per commercia extera allatæ vendebantur, ipfi plerumque in natalibus illarum folis petere confueverant.

Quantum autem commerciis, iifque diffitioribus, fibi vindicandis inhiarint, patet ex Romanorum cum Carthaginienfibus conditis fœderibus; quæ eo lubentius heic adhibeo, quod fimul inde evinci queat primis Ptolemæorum temporibus Italos commercia nulla cum Aegypto habere potuiffe. Primum itaque Pactum fancitum eft A. V. Cond. CCXLIV. Ducentis annis circiter ante tempora, de quibus agimus. Sed illud renovatum fuit A. V. Cond. CCCCVII. Et tandem Ptolemæo Lagi in Aegypto regnante, manentibus iifdem, quæ in fuperiore fœdere fuerunt, conditionibus; & adjectis aliis ad

rem

rem noftram non facientibus *q*). Primum itaque fœdus, idque in fequentibus iterum firmatum, inter alia hæc continebat: *Ne naviganto Romani, Romanorumve Socii , ultra Pulchrum Promontorium r*). Quod egregie illuftrat POLYBIUS dicendo: *Pulchrum Promontorium, quod Carthagini præjacet, & fe-*

q) Hæ Leges per aliquot tempus adhuc obfervatæ fuere, hinc penitus ea, de quibus difputamus, refpiciunt tempora. Ifta vero omnia haufta funt ex Polybii Hiftor. L. 3. 176. feq. Conferri merentur notæ Cafauboni in h. l. Gronovius de Centefimis Ufur. & *Barbeirac Hift. des Anciens Traitez Part. I.*

r) In fœdere fecundo hæc occurrunt verba: *Romani ultra Pulchrum Promontorium, Maftiam, & Trafejam prædas ne faciunto; ad mercaturam ne exeunto.*

Voluerunt Carthaginienfes, ut merces tantum apud fe peterentur, commercio fine dubio, ut fibi utili, fic Romanis perniciofiffimo.

ſeptentrionem ſpectat, ultra quod meridiem verſus nolunt Carthaginienſes Romanos navibus longis navigare. Cauſa opinor eſt, quia cognoſci ab illis nolebant neque loca circa Byzacium, neque parvam ſyrtim, quæ propter ſoli ubertatem nomen Emporia meruerunt. - - Carthaginem vero adire, & regionem omnem Africæ cis Pulchrum Promontorium, inter Sardiniam, & Siciliæ partem Carthaginienſium imperio ſubjectam, mercaturæ gratia licet Romanis.

EVERSA autem Carthagine, & quod eodem tempore evenit, Corintho, Græciæ Inſulæ commercium illud acceperunt, hinc etiam ea tempeſtate frequentius Aegyptum adierunt *s*).

Quo-

s) Strabo 985.

Quomodo Ptolemæi in Commerciis & Navigationibus se gesserint erga Cœle Syriam, Palæstinam, Phœniciam, & Syriam.

Hoc loco breviter adhuc dicendum Arabiæ illam partem, quæ Aegypto vicina eft, Cœle Syriam, Palæftinam, Phœniciamque, fub Ptolemæis, præcipue prioribus, Regno Aegypti fuiffe adjectam; fic ut utrumque latus Sinus Arabici fuperius, & Portus Mediterranei Maris Aegypto vicini illis Regibus paruerint; quod & commercia & reditus illorum augere debuit. Hac de re fic loquitur THEOCRITUS Idyll. XVII. de Ptolemæi Philadelphi temporibus:

> *Et quidem Phœniciæ partem obtinet atque Arabiæ,*
> *Et Syriæ, Lybiæque, nigrorumque Aethiopum.*

Ac

Ac MONUMENTUM ADULITANUM: *Accepto a Patre*, Philadelpho, *Regno Aegypti, Lybiæ, Syriæ, Phœniciæ.*

ET conftat apud omnes Alexandri Regnum in quatuor partes divifum fuiffe, ex quibus Ptolemæus fibi Arabiæ partem, Lybiam, Cœle Syriam, & Palæftinam cum Aegypto fumfit *t*).

SEMPER quidem, & vario eventu, de his Provinciis inter Aegypti Syriæque Reges difceptatum fuit, illæque nonnunquam in Syrorum fuere ditione; fed in omnibus pactis, quæ inter hos Reges erigebantur, femper Aegyptii provocabant ad primam illam Re-

t) In hac Divifione Regni Alexandri per Cœle Syriam intelligunt Syriam, quæ eft inter Libanum, & AntiLibanum. Per Palæftinam omnem Ifraëlitarum hæreditatem; per Phœniciam harum Provinciarum oras maritimas.

Regni Alexandri divifionem, juxta quam feipfis iftas regiones vindicabant, quamvis Syriæ Reges illud jus in dubium vocarent. Sed heic non quæftio eft de bellis Syriæ Aegyptique Regum, verum de illorum mutuis commerciis, de priori re pauca & obfcura, de pofteriori vero nulla apud Veteres mentio, hinc quoque illa non magni momenti fuiffe intelligitur.

OBSERVASSE tamen heic juvabit ex fibi fubditis iftis regionibus Aegyptios fine dubio illas haufiffe merces, quæ commerciis fuis erant neceffariæ. Ex omnibus Ligna; ex Judea Vina *u*), Ficus, Oleum Olivarum, & optimum Balfamum *x*). Ex Phœnicia

u) Commercium Judæorum eo minus neglectum fuiffe videtur, quod conftat hujus rei caufa maximam Judæorum copiam fub Ptolemæis in Aegypto vixiffe.

x) De Balfamo Veterum, feu Opobalfa-

nicia Purpuram *y*). Tyrus enim, quæ iterum poſt cladem ab Alexandro Magno perpeſſam paulum reſtaurata, etſi olim negotiatrix celeberrima, tamen poſtea Aegyptiis parvæ eſſe potuit utilitatis; nam ante illa tempora mercibus peregrinis commercia exercuit; & ex ſuis, ſi Lina, Vitra, Purpuramque excipiamus, fere nullas vendidit. Lino & Vitris ipſa Aegyptus hac, de qua loquimur ætate, abundabat; ſed Purpuram, & ſibi & commerciis ſuis Orientalibus maxime neceſſariam, ex

U hac

mo, de cujus arbore obſcuram tantum cognitionem habemus, conſulendi Lobelius, Proſper Alpinus, Walkamerus, Slevogtius, Vaterus, & præcipue Veslingius ac Haſſelquiſt.

y) De hac merce adeundus Fabius Columna de Purpura. Bochartus in Hierozoico, & *Mémoires de l'Acad. R. des Sciençes de Paris* A. 1711. & 1736.

hac regione petebat, nam Africana, æque ac Laconica Tyria multum erat vilior z). Tyrii enim non modo optima adhibebant conchylia, fed fuccum etiam melius ad tincturas, quam ceteri, parabant.

Quod vero ad ipfum Syriæ Regnum attinet cum illo Aegyptii fub Ptolemæis non videntur commercia exercuiffe; potuiffent quidem inde fibi & fuis commerciis utiles merces petere, Vinum, Styracem, Corallia, Metalla quoque & Lapides, & plura Aromata a).

Hac

z) Plinius 9, 36. Purpuræ jungendum Coccum inventionis quoque Phœniciæ; obfervandumque eos, qui negare audent Coccum Antiquorum conftare ex Granis, quæ *Kermes* vocamus, ne leviffimum quidem fententiæ fuæ præfidium habere. *Mémoires de l'Acad. R. des Sciençes de Paris A. 1714.*

a) Videndus præcipue Strabo L. 14.

Hac tandem occaſione objectionem quorundam tangam, qui ita quærunt: Regnum Syriæ ſub Seleucidarum imperio, præter iſtam Provinciam, continebat omnes vaſtas & inclytas illas regiones, quæ olim Perſarum Regnum conſtituere, extenditque ſe a Mari Mediterraneo ad Indum uſque, qua itaque auctoritate Indica Navigatio a Ptolemæis inſtituta eſt? Reſpondemus ex omni veteri hiſtoria conſtare Syriæ Reges Mediterranea Indiæ commercia Aegyptiis reliquiſſe; ſibi ſeptentrionalia per Oxum & Mare Caſpium exercenda ſervaſſe.

Maſſilia.

De Commercio Ptolemæorum cum Gallia, & præcipue cum florenti Maſſilia libenter diſſererem, niſi hac de re altum apud Veteres foret ſilentium, ex quo, modo quamvis dubio, colligere

debemus illud aut parvum, aut nullum, fuiffe; mercefque illarum regionum mediante Carthagine, Maffiliæ æmula, Aegypto fuiffe illatas, qua Urbe deftructa Græciæ potius Infulæ, quam ulli alii Negotiatores, fibi hoc commercium vindicaffe videntur.

Reditus & Divitiæ Ptolemæorum.

ADDAM quoque heic Obfervationes quasdam de Reditibus & Divitiis Ptolemæorum, ut & de Copia Urbium, Hominumque in Aegypto fub iftorum Regum imperio. Hæc enim, uti fundamenta & fructus commercii, merito pertractanda videntur.

QUOD itaque ad Regni iftius divitias attinet illæ fub Ptolemæo Philadelpho, maximo Commerciorum Navigationumque fautore, etiam fuere maximæ, tefte APPIANO, qui ait *b*): *Se-*

b) Præfat. B. Lybici. Ibid. de Thefau-

Secundus ab Alexandro Aegyptiorum Rex, qui & lucrari potentissimus, & magnifice eleganterque construere, cum ejus regnum divitiis & opulentia nulli cederet.

Et Athenaeus *c*): *Philadelphus sane multos opibus antecelluit, & quæ molitus est ac edidit omnia summo studio honoris & gloriæ cupidus magnifico sumtu absolvit.* Et idem Auctor infra *d*): *Universæ quidem Philadelphi opes diligenter ab aliis Regibus conservatæ ab ultimo Ptolemæo, qui Tibicen &*

ro Regio Aegyptiorum. Conferendus quoque Theocritus Idyll. 17. de Ptolem. Philad. dicens: *Opulentia quidem omnes superat Reges.* Graviter autem errant, qui illud encomium aliis tribuunt Regibus.

c) Lib. 5. p. 302. Occasione Pompæ magnificentissimæ a Rege isto institutæ, in qua absumta fuere Talenta bis mille ducenta triginta novem, Minæ quinquaginta.

d) Pag. 206.

Magus, animoque parum virili, Gabinianum bellum excitavit, dilapidatæ & profligatæ fuerunt.

Cui jungendus Strabo *e*), qui ait: *Aegypti reditus Cicero in quadam oratione indicans Auletæ Patri Cleopatræ ait quotannis Duodenum millium & Quingenum Talentorum Tributi nomine pendi consuevisse; ubi vero is, qui segnissime ac pessime regnum administrabat, tantum in reditibus habuit, quid censendum putas de præsentibus.*

Haec sunt præcipua Veterum loca de Divitiis Ptolemæorum, quæ omnia probant summam utilitatem, quam hausere ex Commercio Orientis Occidentali juncto.

Quot

e) Pag. 1149. Locus Ciceronis non amplius exstat inter Auctoris istius scripta. Adeundus Commentarius Casauboni.

Quot Urbes ſub Ptolemæis in Aegypto, & quam refertæ Hominibus.

Ante Ptolemæos, & ante Perſas, ſub antiquioribus ſapientiſſimisque Aegypti Regibus hæc regio ab infinita hominum habitata fuit copia; id & Veterum effata diſerte teſtantur, & innummeræ Urbes, quibus Aegyptus referta fuit *f*); & ſi hæc omnia ſilerent

U 4 do-

f) Herodotus Lib. 2. c. 177. *Sub Amaſi Rege dicitur Urbes habitabiles in ea*, Aegypto, *fuiſſe viginti mille.* Plinius 5, 9. *Aegyptus ſuper ceteram antiquitatis gloriam viginti Millia urbium ſibi Amaſe regnante habitata præfert; nunc quoque multis etiamſi ignobilibus frequens.* P. Mela 1, 9. Id quoque animadvertendum Clar. *D'Origny* in *Egypte Ancienne* T. 1. cap. 3. oſtendiſſe errare illos, qui putant viginti millia Urbium, quæ vox latiſſimo ſenſu ſumenda, non potuiſſe in Aegypto locum habere, vel ſaltem Agricolationi ſummum detrimentum attuliſſe.

documento eſſent celſiſſimæ Pyramides, inextricabiles Labyrinthi, ſpatioſiſſimæ Thebarum ruinæ, Mœridis Lacus, aliaque ſtupenda opera, quæ veteres ac recentiores Peregrinatores in Aegypto demirari nunquam ſatis potuerunt, & quæ luculenter declarant, quam populoſum opulentumque fuerit hoc regnum ea ætate, qua tanta exſtruxit monnmenta. Iſta vero hominum in feliciſſima regione multitudo uſque ad Perſarum dominationem ſemper aucta fuiſſe videtur. Verum ubi primum ſub fatalibus iſtis Tyrannis ſervitus pro libertate, crudelitas & avaritia pro clementia, pro pace bella, pro continentia luxus invaſere, frequentia hominum ſimul cum fortuna illorum immutata eſt, & in tantum decrevit, ut poſt mortem Alexandri M. multo minor fuerit, quam ante Perſarum imperium; aderant quidem adhuc ea tempeſtate

peſtate utiliſſima opera, Agriculturæ & Commercio maxime neceſſaria, Nilum toti Aegypto diſtribuentia, ſed imminuta valde erat hominum copia, cui iterum augendæ Ptolemæi, præcipue priores, omnibus viribus & egregio cum eventu incubuerunt, de qua re nunc THEOCRITI, DIODORI SICULI, CATONIS, & JOSEPHI teſtimonia proferam, cum diverſis Recentiorum de ancipiti iſta quæſtione ſententiis.

THEOCRITUS de Ptolemæi Philadelphi temporibus ita ſcribit, Idyll. XVII. *g*).

Neque quisquam tam multas urbes
hominum opera facientium
tenet;

U 5 *Tres*

g) Theocritus heic non de ſola Aegypto, ſed de omnibus Provinciis Ptolemæis ſubjectis, intelligendus eſt.

Tres enim illi Urbium centuriæ exſtructæ ſunt,
Tria inſuper millia ſuper triginta millia,
Duo item terniones & præterea ter undecim,
In quibus omnibus magnanimus Ptolemæus regnum obtinet.

HUNC locum Clar. CASAUBOBONUS ita illuſtrat Edit. Commelin. A. 1604, pag. 276. *Large autem fidem veri excedit Poëta, cum canit Ptolemæum ipſi ſubjecta habuiſſe trecenta & 39 ſupra 33 millia urbium, quem nummerum ingenioſe exprimit, ſed hunc locum & nummerum aliter ſumſere Interpretes pro 33 M. & 33. Aliter Tzetzes. Conferendus Diod. Sic. ubi varia Lectio, ut & heic in interprete.*

DIODORUS autem SICULUS, ad quem in nota nunc citata provocat CA-

CASAUBONUS de temporibus Ptolemæi Primi Lib. I. P. 36, hæc habet: *Olim longe omnium populosissima terrarum per orbem cognitarum, & ad hanc ætatem nulla ceterarum inferior; memorabiles quondam Vicos habuit XIIX Mill. ut in commentariis sacris suo notatum loco vere est. Ptolemæo Lagi regnante plures 30. M. recensita sunt; quæ frequentia adhuc constat. In populi quondam universi censu septuagies centena millia fuisse nummerata dicunt; nunc adhuc infra tricies centena millia censeri h).*

AD

h) Ad ultima verba sequentia monuit Wesselingius: Ουκ ἐλάττου εἶναι τῶν τριακοσίων. *Hoc si dederit Diod. oportet hominum nummerum per bella Regum Aegypti civilia immanem in modum decreverit. At contra venit Josephus B. Jud. pag. 190. in Aegyptiorum catalogum Vespasiano principe septuagies quinquies centena hominum millia, non additis ad summam Alexandrinis, referens; qui nostri*

AD quod effatum illuftrandum adfcribemus Commentarium Cl. WESSELINGII. Ille vero ait: Πλείσσ τῶν τρισμυρίων (alii legunt τρισχιλίων) *Marshamus fecutus probabilem rationem fic fcripferat; Manufcripta faciunt ne in conjectura pofitum cenfeatur. Sub Ptolemæis ingens Aegyptus incrementum cœpit, Urbiumque & Pagorum, cum Philadelphus regnaret, nummerus, triginta millia exceffit. Hoc Theocritus clariffime fignificat. De Catone, in Stephani* Διόσπολισ, *quem hæc ætate plures trecentis millibus erant, ficuti ait L. 17. Sed hæc eo difcordia evanefcit, fi* τριακοσίων, *vocem ab H. Stephano in omnibus exemplaribus haud repertam, quam longiffime hinc elimines.*

De eodem loco legendus Hume in *Political Difcourfes, of the populousnefs of antient Nations*, p. m. 256. Et *Effay fur la différence du nombre des Homes dans les tems anciens & modernes.*

hæc Ptolemæorum tempora respexisse arbitratur Marshamus, est quod dubites. Ante enim inductam a Persis vastatem tricies millia Vicorum & triginta, hominum vero septuagies centena millia, quæ mox Diodorus regioni ante Lagidarum imperium tribuit, Thebas, i. e. Aegyptum nummerasse ac possedisse prodit.

Cum hoc conferri meretur Clar. D'Origny, qui in Libro, qui inscribitur *Egypte Ancienne*, T. I. 123. sq. de hac re late egit, & Marshami atque Wesselingii sententiam, quæ plurimis doctissimis sese probavit viris, multis aggressus est. Nobil. iste Auctor veteres statim enummerat Codices, tum illos, juxta quos eo tempore, quo Ptolemæus Lagi Aegypto potitus est, tria millia, tum eos, secundum quorum auctoritatem triginta millia oppidorum in ista regione fuerunt *i*). Postea ex tota

i) Triginta millia Urbium hac ætate in

tota antiqua Hiftoria oftendit fub Perfarum imperio Aegyptum devaftatam fuiffe, fic ut illa regio, quæ, ante horum Tyrannorum dominationem, multis hominibus referta, poft Alexandri mortem iifdem magna ex parte deftituta fuerit, & demum per duos primos Ptolemæos, ad quorum tempora THEOCRITI & CATONIS loca refert, in meliorem ftatum reftituta. Citat artifices & fervos, quos Cambyfes, milites quos Xerxes ex Nili ripis deduxere, creditque, cum multa veri fpecie, DIODORUM SICULUM voluiffe heic declarare quanta mala fævitia Perfarum, & quam felicitatem, indulgentia anti-

Aegypto fuiffe legimus in quinque Codicibus; tria millia in Codicibus undecim; fed fcio hoc argumentum, fi folum foret, parum aut nihil probare. De eadem re exftat eruditiff. Differtatio in Memor. Trivult.

antiquorum Aegypti Regum, induſtriaque Ptolemæorum, huic regioni, præcipue quoad frequentiam hominum, inferre potuerint *k*).

SECTIO

k) Patet ex omnibus pleroſque Ptolemæorum exteros homines undiquaque ad ſe allexiſſe, urbes reſtauraſſe, alias de novo condidiſſe, incolis privilegia conceſſiſſe. De Judæorum v. gr. in Aegypto copia, privilegiis, fatiſque, diſerte loquitur Clariſſ. illorum Hiſtoricus Joſephus T. 1. 583. 695. & T. 2. 456. 471. Duplex autem fuit in Alexandria hominum genus, Aegyptii, ac Advenæ & inter hos Milites Mercenarii; omnium, ſed præcipue ultimorum & plebis multum in ſeditionibus periit. Adeundus etiam Strabo 1148. ſub Phyſcone, indigenæ vexati occiſique, ceteri ipſi ſeceſſere; tum peregrini a Rege ſollicitati invitatique civitatis jure donati ſunt. Juſtinus 38. 8.

SECTIO IV.
DE MERCIBUS AEGYPTI.

Pecunia Ptolemaeorum.

NUNC tandem de Mercibus, quibus Aegyptus Ptolemæorum temporibus abundabat, dicendum reſtat; hæc enim materia interno externoque commercio, ejuſque amplitudini illuſtrandæ, non parum inſerviet.

INITIUM faciemus a Pecunia in horum Regno uſitata. Ante Ptolemæos itaque juxta ingenioſiſſimam veroſimillimamque Illuſtriſſ. Comitis DE CAYLUS conjectationem Aegyptiis hunc uſum præbuere parvæ auri laminæ in foliorum formam inciſæ *l*). Sed nihil

l) *Recueil d'Antiq.* T. 2. 18. Conferenda etiam Quæſtio, quam hac de re perilluſtris Acad. Reg. Inſcript. Pariſ. Peregrinatoribus Danis propoſuit.

nihil hujus pecuniæ ſub Ptolemæis in commercio adhibitum fuiſſe videtur. Aliter ſe res habet cum vetuſtis Nummis Macedonicis Philipporum *m*), Alexandri, & aliorum, qui diu adhuc poſtea a mercatoribus adhibebantur. Ptolemæi vero in Aegypto nummos percuti curabant aureos, argenteoſque varii moduli, ſœpius capitibus ſuis inſignes; æreos alios rariſſime illorum, ſed fere ſemper Jovis vultu ornatos. Neque vero hi nummi tantum in Alexandria, ſed & in multis aliis Aegypti Urbibus conflabantur *n*). Illi in quibus nulla occurrit nota loci, in quo

X num-

m) Præcipue Philippi Patris Alex. M.

n) Comparanda doctiſſima ſcriptio Clar. Vaillantii de Hiſtoria Ptolem. ad fidem Nummiſmatum. Et Clar. *Pellerin* in *Recueil de Medailles des Rois* pag. 39. ſeq. Geſsneri Numiſmata Regum Syriæ, Aegypti, & Arſacidarum.

mummus fignatus, Alexandriæ tribuuntur; ceteri illis Urbibus, quarum nomina per compendia fcripta in area confpiciuntur. Sic habemus Nummifmata Ptolemæorum percuffa apud Abydenos, Pelufiotas, Heracleopolitas, Thebanos, Hermopolitanos, Diofpolitanos, Memphitas. Imo etiam in Cypro, Ptolemæis fubjecta, horum Regum nomine moneta fignata *o*). Habemus & nummos in Tripoli Phœniciæ, Ptolemæorum imperio fubdita, percuffos. Clar. VAILLANT in Opone quoque, Emporio Aethiopiæ, fub Ptolemæo Philometore in mercatorum gratiam nummos cufos fuiffe verofimiliter oftendiffe videtur *p*).

Mer-

o) Dubium, an Nummi cum K fignati, fint Canobitarum, Coptitarum, an vero etiam Cypriorum; forte tamen iftæ litteræ aliquando annos Regum, potius quam loca fignati nummi indigitant.

p) Loc. cit. 104.

Merces Aegypti
Ex Regno Animali.
Equi, Muli, Aſini, Cameli.

Antiquissimis temporibus Aegyptus Equos habuit & optimos, & maxima copia, minori autem nummero illa ætate, de qua nobis ſermo eſt, Canalium Niloticorum multitudine illorum uſum valde intervertente. Habuit & Mulos atque Aſinos pulcherrimos, nec non Camelos ex ſua regione & præcipue ex vicina Arabia. Priora Animalia olim nutriebant tum ad bellicum uſum, tum ut objectum commercii, poſteriora & maxime ultima utilitatem habebant ſummam pro commerciis internis per deſerta inſtituendis, & hinc etiam pro commercio externo, quod proxime cum interno conjunctum eſt. Ceterum de hac re legi queunt Prosper Alpinus in Hiſtoria Na-

tur. Aegypti, BOCHARTUS in Hierozoico, & omnium maxime Clar. MICHAELIS *q*).

Pifces.

PISCIUM Pifcatorumque in Aegypto magna erat copia, de qua re breviter agam, quia multum ad commercia hujus regionis interna, & nonnihil etiam ad externa confert. Jam in Sacris Litteris fœpe mentio Pifcium Aegypti, fœpe Pifcatorum illius Regionis, qui ob lucrum, quod inde redundabat fe extollebant *r*). STRABO *s*) ait:

q) Commentarii Soc. Reg. Gœtting. T. 4. 102. In fectione, quæ infcribitur, *Origo contemptus Afinorum apud Aegyptios.* Ibid. pag. 100. In fectione, quæ hunc habet titulum: *Equos ab Ifraëlitis multiplicari Mofes cur vetuerit.*

r) Num. XI. 5. Exod. VII. 18. 21. Pfalm. CIV. 29. Jef. XIX. 10.

s) Lib. XVII. 1178.

ait: *Pifces in Nilo permulti funt.* Eofdem ATHENAEUS laudat & nominanatim recenfet *t*). Hos itaque Nili & Lacuum fuorum Pifces Aegyptii non modo recentes, fed etiam Sale conditos vendebant. Abundabat regio Sale; Canales Nili & vicina Maria exportationem mercis fuaferunt, dum eam facilem reddebant. Sic DIODORUS SICULUS *u*): *Incredibili Pifcium*

 copia

t) Pag. 311. Lib. VII.

u) Lib. I. pag. 42. Geographus Arabs Part. I. Clim. I. pag. 1. *In Nilo funt varia Pifcium tam parvæ quam magnæ molis genera, quibus vefcuntur plerique Nigrorum; captos enim pifces, qui quidem pinguedine ac magnitudine admodum præftant, Sale condiunt ac reponunt.*

Pollux Onomaft. 1. 592. Hemfterhufii.

Pifcatorum copiam Navigationibus & Commerciis Aegyptiorum fuiffe utiliffimam quivis facile fentiet.

copia omnigenorum Nilus abundat; non enim, ut recens modo captis large fruantur accolæ efficit, verum inexhaustam quoque Salsamentorum copiam largitur. Et apud LUCIANUM, Tom. 3. 259. Reitzii, amicus ad familiarem in Aegyptum commeantem ait: *Per Isidem amice certe Nilotica illa Salsamenta, illa tenuia, ex Aegypto adferre memento, aut Unguentum de Canopo.*

HODIE adhuc in Lacubus *Brullos*, *Beheire*, & *Manzale*, Piscium magnam capiunt copiam, quos & suæ regioni, & Sale conditos Constantinopoli, Syriæ, Cyproque vendunt, de quibus multis & optime egit Eruditus Pater SICARDUS *x*).

Mer-

x) *Nouveaux Mémoires des Missions du Levant* T. VI. 229. *Sur les différentes Pêches, qui se font en Egypte.* De Piscibus Aegypti videndi Peregrinatores illius regionis, & inter hos præcipue Wanslebius, Pocockius, ac

Merces Aegypti

Ex Regno Vegetabili

Vinum, ac Acetum.

VITES in Aegypto vetuſtiſſimis temporibus erant rariſſimæ, & juxta nonnullos ob ipſam iſtam rationem Vini potus in horum Religione damnatus fuit. Uſum itaque vini introduxit Pſammetychus *y*). Sub Ptolemæis dein jam plures in Aegypto Vineæ, & Celeberrimum Mareoticum ſeu Alexandrinum Vinum, quod ATHENAEUS una cum ceteris Aegypti vinis deſcri-

Haſſelquiſt; Ichtyologi, & inter iſtos maxime Artedius, qui Niloticorum Piſcium antiqua recentioraque ſynonyma exhibet.

Apum & Mellis in Aegypto copiam, alio loco memoratam, nolo de novo in hac ſectione tangere.

y) Plutarchus de Iſide 2. 355.

pfit z). De iifdem DIODORUS SICULUS a), aliique multi teftantur; nunquam tamen vinum in Aegypto magna copia creviffe videtur, fed præftans; unde putamus illam gentem Nili gratam aquam, & potum ex hordeo adhibuiffe b); cum vero in commercio fuo Orientali vinum exportandum foret parum vini fui, multum vero fumebant ex Græciæ Infulis, ex quibus illud & pro fe & pro commerciis fuis advehi curabant c).

LAUDATISSIMUM quoque apud

z) Athenæus I. 33.

a) Diod. Sic. I. 43. Et præcipue notæ Weffelingii I, 19. Plinius XIV, 7.

b) Herodotus 2. & 3. Strabo 1150, & 1136.

c) Periplus M. Erythr. p. 5. 11. De Vino ex Aegypto exportato. Conferendus etiam Haffelquift p. 544.

apud Veteres erat Acetum Aegyptiorum *d*).

De variis Olei generibus, quibus Aegyptii loco Olei Olivarum utebantur, ut & de hujus Commercio.

Cum Oleum ſit in communi vita tantæ neceſſitatis de ejus apud Aegyptios commercio dicendum eſt. Illa itaque regio Oleis Olivarum olim & hodie fere deſtituta, ſi parva quædam loca paucoſque hortos excipiamus, in quibus frugifera Olea occurrit, quam rem multis probavit Clar. Jablonskius *e*). Sed habebant Aegyptii

d) Athenæus 67. Generoſum Aegyptiorum Acetum ſine dubio parva copia ex Vino illorum, vilius frequenter ex Zytho factum fuit.

e) Pantheon Aegypt. T. I. p. 60.

Olea plurima alia viliora, quorum præcipua Sefamina Indis adhuc hodie ufitatiffima, ac Ricina, ex Cici Aegyptiorum confecta *f*). De hac re itaque fic fcribit DIODORUS SICULUS pag.40. *Ad Lucernas accendendas liquorem ex Planta quadam, quam Cici vocant, expreffum, pro oleo infundunt.* Et STRABO 1179: *Ricini Oleum, quo omnes fere indigenæ ad Lucernam utuntur, peregrini vero & operarii ad unctionem, tum viri, tum mulieres.*

CUM

f) De Oleis fictitiis legendus Herodotus L. 2. 94. & Plinius XV, 7. Diofcorides, Athenæus, Hefychius. Oleum Sefami in victu adhibebatur, Ricini cibis fœdum fuit, quod & teftimonia & ejus indoles declarant. De his duobus oleis, quæ perperam aliquando ab antiquis comparantur, legendi inter Recentiores Rumph. Amb. & Burmanni Zeylan.

Cum vero Olea iſta viliora a ditioribus ſpernerentur nec ad omnes uſus apta eſſent, accidit, ut Oleum Olivarum fuerit ex mercibus, quæ Aegyptiis gratiſſimæ erant, & maxime neceſſariæ. Illud advehebant Judæi ex terra ſua, oleis ſemper abundante *g*); illud ſine dubio etiam præbebat Græcia, & præcipue Athenæ, oleorum commercio cum Aegypto jam vetuſtiſſimis temporibus celebres *h*).

Linum, Goſſipium, Veſtes variæ.

Inter præcipuas quoque Merces Aegypti erat Linum, quod illa regio & majori copia, & melius produxit, quam ulla alia. In Sacris Litteris Lini Aegyptiaci mentio occurrit inter pre-

g) Kimchius ad Hoſeæ 40. 1. Relandus in Palæſtina 1. cap. 57.

h) De Platone, Aegypto olea venalia afferente, ſupra diximus.

pretiofas merces, & in Veftibus Sacerdotalibus, ad quæ uti in Aegypto adhibebatur; nomina, quibus illud ibi indigitatur, funt *Bad*, *Schefch*, *Pifchta*, & *Athoun*; ubi graviter errant, qui fibi perfuadent unum alterumve horum verborum Sericum notare, cum ubique fere intelligendum videatur Linum, forte etiam aliquando Goffipium.

LINI Aegyptii præftantiam commendat etiam HERODOTUS L. II. De eodem hæc habet PLINIUS 19, I. *Aegyptio Lino minimum firmitatis, plurimum lucri; quatuor ibi genera. Taniticum, ac Pelufiacum, Buticum, Tentyriticum, cum regionum nominibus, in quibus nafcuntur i).*

SUB Romanis Imperatoribus Linum erat ex mercibus, quas Aegyptus in Urbem mittebat *k*). Hodie adhuc

i) Inter hæc Pelufiacum maximi fiebat.

k) Cicero pro Rab. Pofthumo. Vopifcus

adhuc variæ Aegypti Provinciæ, & præcipue Heracleotica, Linum venundare solent *l*). Et sic constat illud omni tempore in Aegypto abundasse, & cum pretiosum esset, commercium ejus huic regioni fuisse utilissimum.

SED fere omnes illæ voces Hebreæ, Græcæ, & Latinæ, quas de Lino Aegyptiaco explicamus, aliquando apud Veteres etiam de Xylino, seu Gossipio, adhibentur; sic ut vix sciamus an semper loca Antiquorum de Lino sativo, an vero aliquando de Lino Arborum, intelligenda sint *m*). Heic ita-

in Aureliano. Linum in Arriani Periplo, inter merces ex Aegypto exportatas, etiam sœpius occurrit.

l) P. Lucas *Voiage*. P. 2. p. 45.

m) Hac de re multa conscripsere Celsius in Hierobotan. Braunius de Vestitu Sacerd. Salmasius ad Solinum, & isti hac in materia præferendus Magnus Vossius ad Melam. Mul-

itaque non omittendus videtur locus PLINII Lib. XIX, 1. qui ait: *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossipium vocant; plures Xylon, & ideo Lina inde facta Xylina.* Jungenda quoque singularis observatio Clar. ROUELLE *n*), quam his exprimit verbis: *Toutes les Toiles de Mumies, qui sont sans matiére resineuse, que j'ai eu occasion d'examiner, sont toutes de Coton; les morceaux de Linges, dont les oiseaux embaumés sont garnis, afin de leur doner une figure plus elegante sont*

tum heic adhuc obscuritatis remanet, neque illa tolletur, donec Botanicæ Artis peritus, in Linguis Scriptoribusque Orientis versatus, varias Lini & Xylini Aegyptii species, diversaque nomina, in ipsa Aegypto detegere tentabit, idque adhibito ubique Coptici Sermonis præsidio.

n) *Mémoires de l'Acad. R. des Sciençes.* A. 1750.

ſont egalement de Coton. - - Le Lin des Egyptiens étoit il le Coton, ou le Coton étoit il conſacré par la Religion pour les Embaumemens o).

CER-

o) Addi meretur judicium Cl. Haſſelquiſt de Lino Aegyptiorum; is vero ita loquitur: *Colitur copioſiſſime in Aegypto*, Linum Sativum, *præcipue in Inſula Delta, & juxta Damiatam. Ingenti quantitate præparatur, exportatur quotannis Venetias & Liburnum; molle eſt & bonum, non tamen bonitate Europæum ſuperans. Telæ contexuntur adhuc hodie ex Lino in Aegypto, ſed groſſiores & nullius pretii reſpectu ad Europæas; a Turcis tamen copioſe coemtæ, etiam ab Europæis pro uſu viliore. Non melioris texturæ fuiſſe Lintea antiquorum Aegyptiorum adeo decantata, docent illa, quæ adhuc hodie Mumiis circumvoluta videntur; tempore autem, quo ſola Aegyptus artem poſſidebat Linum colendi, & Lintea texendi, optima erant.* Conferendus idem Auctor in Sectione de Commercio Aegyptiorum pag. 601. Pancirollus, in Libro de Memorabilibus deperditis, de Byſſo Antiquorum, & de plurimis

CERTE, fi per Linum nil nifi verum intelligamus Byffum, Aegyptii vix pro ufu fuo, qui erat multiplex, minus adhuc pro ceteris, ejus fatis habebant. Aliquando itaque hoc nomine venit Goffipium vulgare, quod Aegyptii in communi vitæ ufu adhibuere, quia vel apud fe, vel apud Cyprios Syrofque vili illud habere poterant pretio. Goffipium vero præftantiffimum, & Linum elegantius, fuæ regioni fere proprias merces, magno vendebant pretio *p*).

NEQUE

aliis illorum mercibus, multa quidem collegit, fed pauca explicavit.

p) Præftantiffimum Goffipium Aegypti eft excelfior & arborefcens planta ex Arboribus, quas Theophraftus Ἐριοφόρους vocat; non in magna copia in Aegypto occurrit, ubi Goffipium frutice humili adhuc rarius; pofterius & pro fe & pro commerciis ex vicinia haufiffe videntur.

Neque filentio prætereundum eft in Periplo Maris Erythrei *q*) mentionem fieri Veftium tum Lanearum, tum Linearum *r*), rudiorum, pretiofiorumque, quæ in Aegypto, & maxime in Arfinoë, confici, indeque exportari dicuntur. Sub Ptolemæis in Luxu Aegyptiorum præcipue adhibebantur pellucidæ illæ Veftes, quæ neque corpori neque pudori auxilio effe pote-

q) Pag. 4. 5. & aliis locis. Hic Auctor & alii nunc citandi recentiores funt; fed artes, de quibus loquuntur, in Aegypto antiquæ, neque fub Romanis perfectiores redditæ.

r) Hanc fectionem potuiffem ad illam rejicere, ubi de mercibus artificum Aegyptiorum ago, fed nolui eam a Lino feparare.

Uti Linum, fic Lana, in Aegypto frequens, hæc regio, & magis adhuc vicina Aethiopia, illius abundantiam præbere poterant.

rant *s*). Aegyptii quoque mira arte veftimenta & Tapeta acu pingebant; De Polymita Cubicularia fic loquitur MARTIALIS: XIV, 150:

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa eft
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

TEXTURA etiam excellebant verficolore *t*):

Pars auro palmata nitet, pars ignea cocco,
Ut mos eft Phariis mifcendi licea telis.

TINCTURA etiam fingulari Veftes

s) Tali Vefte Phyfcon Romanos Legatos recepit. Conf. Athenæus 2, 17.

t) Lucanus X, 123. Conferendus etiam V, 141. In defcriptione ornatus, quem Cleopatra fecum tulit.

ſtes pingebant teſte Plinio *u*). *Pingunt*, ait ille, *& Veſtes in Aegypto inter pauca mirabili genere, candida vela poſtquam attrivere illinentes, non coloribus, ſed colorem ſorbentibus medicamentis. Hoc cum fecere non apparet in velis, ſed in cortinam pigmenti ferventis merſa poſt momentum extrahuntur picta x).*

Frumenta & Legumina Aegypti.

Frumenta fere omnis generis in fertiliſſima Aegypto maxima creviſ-

u) Lib. 35. cap. 2. De Veſtibus in Aegypto confectis legendus Idem Lib. 8. 48.

x) Hanc obſcuriorem deſcriptionem explicare tentavit Cl. Goguet in *Origine des Loix*, T. 2. Huc etiam nonnulli trahunt nondum ſatis enodatum locum Petronii, qui ait: *Pictura quoque alium exitum fecit, poſtquam Aegyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit.* Pag. 2. Gonſalii de Salas, cujus notæ adeundæ pag. 15.

fe copia nemini dubium effe poteft; varias illorum fpecies laudant PLINIUS Libro Octavo decimo, DIODORUS SICULUS, STRABO, aliique. Hordeo Triticoque Aegyptio præ ceteris maximus honor habebatur. *In Aegypto Spicæ hordei & tritici ad eam altitudinem perveniebant*, tefte HELIODORO, *ut quemvis etiam in Camelo fedentem interdum tegerent; eaque ubertate ut ad trecentefimum femina terræ mandata præferrent y*). Sic MAXIMUS TY-

y) Nolumus, & non poffumus, hunc locum, qui exftat Aethiopic. X. ftricto fenfu intelligere, fed tantum de præftantia & ubertate Tritici Hordeique Aegyptii. Plinii tempore, 18. 10. campi hujus regionis centefimum fundebant granum; feptuagefimum ad fummum fub Juliano Apoft. juxta Ammianum Marcell. 22. 15. Recentiori tempore quinquagefimum, fecundum Grangerium, & tantum dimidium iftius auctore Mailleto. De hac ve-

TYRIUS *z*), ſingularum regionum præſtantiſſima quævis enarrans, ait, *Aegyptium Triticum*, *Atticum Aes.*

HAEC Frumenta Aegyptus per ſua commercia exportabat, & ſic a vetuſtiſſimis temporibus uſque ad recentiora tempora perduravit, ut Aegyptus multum frumenti huc illucque mitteret *a*).

LEGUMINIBUS quoque variis & optimis Aegyptus abundabat, quæ fuere commercii interni externique objecta, & inter illa ſpeciatim celebres erant Lentes Peluſiacæ *b*). MARTIALIS XIII, 9.

 Acci-

ro re omnia Antiquorum æque ac juniorum loca optime congeſſit Clar. *D'Origny in Egypte Ancienne. T. 1. c. 4. Du degré de fecondité des terres de l'Egypte.*

z) Serm. XIII.

a) Periplus M. E. 4. 11.

b) Raderus ad Martialem, Hieronymus

Accipe Niliacam, Pelusia munera, Lentem.

Lotus & Colocasia. *Palma, Coriandrum, Mastiche, Marum, Silphium.*

AD Plantas Aegypti commerciis aptas pertinet etiam Lotus Veterum, Nympheæ species *c*), cujus caules radicesque edules ad exteras gentes deferebantur. Incertus Peripli Maris Erythrei Auctor *d*), inter mercimonia Indiæ ex Aegypto illata, commemorat Melilotum, certum autem est sic ob mellitos caules radicesque Lotum vocari; sed minus certum Colocasiam, Aegypto etiam fere soli inter merces tri-

in Ezechielem, Plinius, Virgilius, Georg 1. 228. ibidem Servius.

c) Hasselquist 509. Prosp. Alp. H. Nat. Aeg. & De Plantis Exot. 213-229.

d) Pag. 28.

tributam *e*), atque aliam Nympheæ ſpeciem, Fabam ſcilicet Aegyptiam, Lotumve, eandem eſſem, quam multi potius cum hodierna conferre volunt Colocaſia, quamvis illa veteri in paucis ſane conveniat. In hanc rem ſcriptum dictumqne eſt multum, illaque dubia manebit, donec itinerator aliquis, Herbariæ Artis probe peritus, non unam alteramve Aegypti Provinciam ac Plantam, ſed omnes ſedulo perluſtraverit,

e) Colocaſiam inter triginta res in ſola Aegypto occurrentes, recenſet Arabs apud D'Herbelotum 580. De Colocaſia Veterum eruditiſſime diſputarunt Salmaſius ad Solinum, Proſper Alpinus de Pl. Exot. & in Hiſt. Nat. Aegypti, de eadem Veslingius. De Colocaſia, Loto, Faba Aegyptia, conferendus etiam Clar. Mahudel in *Hiſt. de l'Academie R. des Inſcript. T. 3. Examen de divers Monumens, que les Antiquaires confondent preſque toûjours avec le Lotus d'Egypte.*

& cum Græcorum, Latinorum, Arabumque, præcipue autem THEOPHRASTI descriptionibus contulerit, de quibus dolendum, quod nil minus, quam absolutæ completæque sint. Afferendus interim mihi videtur locus SERVII ad VIRGILII Eclog. 4, 19. ubi Marcello offerendæ dicuntur variæ plantæ *f*):

Errantes Hederas passim cum Baccare Tellus,
Mistaque ridenti Colocasia fundet Acantho.

HEIC SERVIUS sic commentatur: *Colocasia - - Hanc Herbam videtur in honorem Augusti dixisse, quæ Romæ post devictum ab eo Aegyptum innotuit.*

Ex quibus patet hoc, ut plura alia Aegyptia mercimonia, Romæ demum

f) Conferendus etiam Martialis 13. 57.

mum regno iſto in Provinciæ formam redacto innotuiſſe; ſed quid vetat quominus credamus illud ſub Ptolemæis non quidem ad Romanos, ſed ad gentes, cum quibus commercia exercebantur, delatum fuiſſe?

Palma quoque ſuperioris Aegypti nobilis fuit, proventusque illius Regibus multum attulit lucri; de qua re pluribus egere Strabo, & ejus Commentatores *g*). Maximi quoque apud Veteres fiebat Coriandrum ejuſdem regionis *h*).

Mittimus Plantas plures Aegyptiis in vita communi, hinc quoque in commercio interno uſitatas, & alias Medicæ arti utiliſſimas, quibus Aegy-

g) Lib. XVII 1173. 1179. Præ ceteris autem diverſos Palmarum in vita communi uſus deſcripſit Cl. Steckius de Sagu Argentor. 1757.

h) Plinius XX, 20.

ptus femper abundavit, & quas pro fe adhibuit, & exteris quoque vendidit *i*).

Huc, ut id obiter notem, pertinet Refina illa Aegyptia, cujus PLAUTUS, paucis recte intellectus, mentionem facit, quæ a Maftiche, quam Lentifcus arbor fundit, non diverfa eft *k*). Huc referendum Marum Aegyptiacum, in veteri Medicina celeberrimum, a WEDELIO docte defcriptum *l*); atque Silphium illud auro contra carum, quod Ptolemæorum temporibus ex Cyrenaica petitum in Aegypto vendebatur, & poftea demum, fed multo deterius, ex aliis adferebatur regionibus *m*). *Mer-*

i) Diodorus Sic. 40. Conf. Plin. 21, 15. *Frugum quidem fertiliffima, fed ut prope folis iis carere poffet, tanta eft ciborum ex herbis abundantia.*

k) Wedelius de Refina Aegypt. Plauti.

l) Idem de Maro, Jenæ 1703.

m) Spanheimius de Ufu & Præft. Num-

Merces Aegypti ex Regno Minerali. Lapides Pretioſi.

Plinius *n*), aliique vetuſtatis Scriptores Aegypto plures Pretioſos tribuunt Lapides commerciis aptos, maxime vero Opalos, Calchedonios, Amethyſtos, Achates elegantiſſimos, Cytin, Cyanon & Smaragdum. Nos de duobus ultimis, ut præcipuis, breviter agemus.

De Cyano hæc habet Plinius *o*): *Adulteratur maxime Tinctura, idque in gloria Regis Aegyptii adſcribitur, qui pri-*

miſm. Kæmpferus in Amœnit. Exoticis; & præcipue Waltherus de Silphio in Nummis Veterum, ac diverſis plantæ ſpeciebus. Lipſ. 1746.

n) Plinius L. 37. Ibid. Salmaſius. In vulgus quoque notum eſt Aegyptum divitias ſuas non Auri Argenti aliorumque metallorum venis debuiſſe.

o) Lib. 37. 9.

primus eum tinxit. Quidam recentiorum Auctorum per Cyanon intelligunt Turcoidem *p*); alii magno numero Saphiri speciem, nos Lazuli Lapidem esse existimamus, inter quem & Saphirum Antiqui sæpius, aut ambiguum, aut nullum discrimen posuere. Obscurissimus semper manet locus PLINII de Rege Aegyptio illum adulterante. Si is Scriptor non erravit intelligendus est de Vitro gemmæ instar tincto; si vero PLINIUS Cyanon gemmam cum Pigmento ejusdem nominis colorisque confudit, tum accipiendus est de Temperatione Alexandrina coloris cærulei, quam verosimiliorem sententiam ex THEO-

p) Hæc conjectura nullius videtur momenti, non quidem, quod credam veram Turcoidis naturam Veteribus fuisse cognitam; sed præcipue, quia is Lapis non ex Aegypto, verum ex Persia afferendus fuit.

Theophrasto & Vitruvio ſibi firmaſſe viſus eſt Magnus Salmasius in notis ad hunc locum. Utrum Rex, de quo heic ſermo eſt, ſit ex Ptolemæis, an ex prioribus, aſſeverarè nequeo; omni enim tempore in honore & uſu fuit Chemia in Aegypto, talibus compoſitionibus mercibuſque parandis idonea.

Pergo ad Smaragdum, quem Aegyptus magna ſatis copia tuliſſe dicitur, & cum apud Veteres Gemmarum fuerit tertia, variis uſibus adhibita, conſequitur illum in eorum commerciis haud minimi fuiſſe momenti *q*). De varia Smaragdi patria & ejus generibus multa occurrunt apud Theo-

q) De vario uſu Smaragdi apud Veteres conſulendus *Jannon di St. Laurent ſopra le Pietre Prezioſe degli Antichi pag. 70. T. 5. Saggi di Diſſert. di Cortona.*

THEOPHRASTUM, PLINIUM, atque SOLINUM *r*); nos vero de solis agemus Aegyptiis. *Tertium locum,* inter Smaragdos, *Aegyptii habent,* secundum PLINIUM, *qui eruuntur circa Copton oppidum Thebaidis in collibus ex cautibus.* Et STRABO *s*): *In hoc Isthmo, (prope Coptum,) sunt Smaragdi, & aliorum quorundam pretiosorum Lapidum metalla, ubi Arabes profundos quosdam cuniculos effodiunt.* Consentiunt magna copia Arabes fere omnes, qui Aegyptum descripsere. IBRAHIM BEN OUASAFF SCHACH, a D'HERBELOTO laudatus, Smaragdos Orientales inter triginta illas præstantissimas Aegy-

r) Theophrastus de Lap. Plin. 36.5. Solinus 15. Ibid. Salmasius.

s) Lib. 17. 1170. Patet ex isto loco Arabes prope Coptum, commune illorum & Aegyptiorum Emporium, in Smaragdi fodinis occupatos fuisse.

Aegypti procreationes ponit *t*). Apud eundem D'HERBELOTUM in Territorio Syenes ſola illorum ſedes ſupereſſe traditur. In DIARIO quoque ERUDITORUM PARIS *u*): citatur Arabs, qui ipſe dicit ſe luſtraſſe has Smaragdi fodinas, octo dierum itinere a *Kous* diſſitas. De iiſdem multis agit PROSPER ALPINUS *x*), cujus locum in nota exhibemus. Quamvis hæc omnia

t) *Bibliothèque Orientale*, p. 580. & 141.

u) *Journal des Sçavans*, *Juin 1758*. *Extrait de Maraſchi.*

x) Rer. Aegypt. 3. cap. 4. *Quod Smaragdi pretioſiſſimi omnium in Aegypti Provincia, Gait vocata, effodiantur, omnibus qui Aegyptum habitant notiſſimum eſt. Itaque in Gait, ſub Aegypto meridiem verſus poſita Provincia, vel regno, ubi olim Inarum regnaſſe ferunt, Smaragdorum puteus eſt, quem Bir el Smerad vocant &c.* Hæc omnia late exponuntur a Cl. Gogueto *Origine des Loix, des Arts & des Sciences.* T. 2. p. 238.

omnia certa videantur & indubia, tamen multi Recentiorum iis, quæ nunc de Smaragdis Aegypti diximus, vix fidem habere volunt, exiſtimantes hodie nullos amplius Orientales reperiri Smaragdos, & nos forte illum Antiquorum non cognoſcere; de quo PLINIUS aſſerit eum difficillime vulnerari, quod de noſtro falliſſimum; ſtatuunt etiam illa, quæ de Smaragdis ſummæ magnitudinis apud PLINIUM, THEOPHRASTUM, CEDRENUM, alioſque leguntur, minime de noſtro accipi poſſe; & referenda eſſe, vel ad Smaragditem, *(Prême D'Emeraude)* vel potius ad Vitra Smaragdino colore tincta, quorum commercium Aegyptii, harum artium peritiſſimi, ſimul cum illo pretioſorum Lapidum exercuiſſe videntur.

Mar-

Marmora.

INTER Merces commercii Aegyptiorum, præſertim interni *y*), erant Marmora illius regionis, de quibus late PLINIUS Lib. 36. & ex eo CARYOPHILUS in ſcriptione de antiquis Marmoribus *z*), qui illorum ſpecies, pretia, cæſuras, tincturas & vectiones optime explanavit. Genera autem præcipua Marmorum Aegypti, vicinorumque locorum, hæc ſunt: Alabaſtrites, Porphyrites, Niger Thebanus, Baſaltes *a*), Obſidianus, Ophites, Mem-

Z phites,

y) Sub Ptolemæis forte in Artificum gratiam minora quædam marmora exportata fuiſſe crederem, niſi ipſa Græcia illis abundaſſet; ſub Romanorum imperio multa marmora Aegyptia Romam advecta.

z) Caryophilus loc. cit. 86 -- 125. Apud *D'Herbelot* p. 508. inter res Aegypto proprias variæ recenſentur Marmorum ſpecies.

a) De Baſalte legendus Ill. Comes *De Caylus Rec. D'Antiq.* T. 5. XI.

phites, Elephantinus, Syenites, Numidicus feu Lybicus, Arabicus albus.

Salia.

Salium olim hodieque in Aegypti flumine, lacubus, terrifque, diverfæ fpecies, magna copia, magnus ufus, maximum commercium, qua in re Plinium ad partes vocavimus *b*); porro Clar. Rouelle egregias commentationes de Differentia Nitri Veterum Recentiorumque *c*); evolvimus etiam,

b) Plinii loca de Salibus agentia expendit Clar. Michaëlis loco mox citando; is de Nitriariis Nili artificialibus multis loquitur, de Naturalibus vero præter laudatum Auctorem adeundi Peregrinatores, & inter hos præcipue Huntingtonus, Sicardus, Profp. Alpinus & Haffelquift. Illorum origo in Sale Nilotico, vel Alcalino, vel Mirabili Glauberi.

c) *Mém. de l'Acad. R. des Sciençes.* A. 1750.

etiam, idque cum ſummo fructu, Clar. SPIELMANNI opera *d*), in quibus obſcuriſſima Salium doctrina in nova certiſſimaque luce collocata eſt. Adhibuimus tandem Cl. MICHAELIS Libros ſingulares de Nitro Antiquorum *e*); iſti vero ſollertiſſimo ſcientiſſimoque viro in quibuſdam, non in omnibus tamen, aſſentire queo; in eo enim, etſi invitus, ab eo diſcedere cogor, cum exiſtimat noſtrum Nitrum aliquando, a Veteribus hoc nomine indigitari *f*).

d) Spielmanni Inſtitutiones Chemiæ; vide præ ceteris p. 158. Idem in Diſſertatione de Principio Salino.

e) Michaëlis Quæſt. 84. Peregrinatoribus Danis propoſita; ejuſdem Diſſertationes de Nitro Plinii, & Hebræorum. Clar. Cnoll in Miſc. Berol. VII. Schreber *Abhandl. vom Nitro der Alten.* T. I. *Oeconom. Samml.*

f) Cur inventio Nitri a Chemicis tempora noſtra præcedentibus, nam Antiquis in-

Aegyptium itaque Antiquorum Nitrum, mea ſententia a hodierno diverſum, nunquam Sal neutrum factitium, ſed Alcalinum foſſile fuit. Duo ejus genera ex Aegypto ad Clariſſ. Rouelle miſſa ſunt; alterum, quod ibi raro invenitur, a Soda non differebat; alterum copioſiſſime in ea regione exſtat, eratque Sal Marinum cum baſi parvæ partis Glauberiani Salis, quod ex aqua marina evaporata ſemper obtineri ſolet *g*).

Usus horum Salium apud Antiquos

cognitum fuit, non magis deprædicatur? An ſi illud habuerunt, detonationem ejus ignorare potuerunt; cur ſi noverunt illam reticuere? & cur ab Arabibus in iis compoſitionibus, in quibus Nitrum Recentiorum fuiſſet utiliſſimum, nunquam illud laudari ſolet?

g) *Boulduc, Mém. de l'Acad. R. des Sciençes de Paris.* 1731. p. 350.

quos multiplex *h*); ſtatim iis omnibus inſerviebant, quæ inveteranda fuere, hinc mortuorum conditura magnam eorum partem abſumebat, ſœpe in Vitriariis, ſœpe in Tinćturis, aliquando in cibis, in Medicina, in Balneis adhibebantur; nonnunquam ex iis, in Lapidum formam concretis, Vaſa quoque elaborata fuere.

JUNGENDUS tandem ATHENAEUS 2. 67. qui ait: *Deinon in Hiſtoria Perſica, qui ex Aegypto Nili Aquam & Salem Ammoniacum ad Regem mitti prodit i*). Non faćtitium illud Sal Ammoniacum, cujus compoſitionem

 Aegy-

h) Ad omnes iſtos uſus Natrum adhiberi poteſt; ad priores præſertim ob Alcalinam naturam, quæ in eo plane eadem quæ in Soda, hinc & ſimilem præſtat effećtum.

i) Ejuſdem mentionem facit Plinius, Dioſcorides aliique plures; conſulendus Salmaſius Homonym. Hyles Jatricæ p. 190.

Aegyptiam Clariff. HASSELQVIST optime defcripfit; non verum illud & foffile in Septentrione a Cl. MODELIO detectum; fed, five idem illud Sal Alcalinum, Natrum Aegyptium, a loco natali Ammoniacum vocatum, cujus naturam nunc expendimus; five Sal Gemmæ, ifti, quod ex Polonia habemus, fimile *k*).

SALIBUS Aegypti ad commercia aptis addendum eft Alumen, quod in illa regione PLINIO tefte XV, 15. laudatiffimum, & cujus hodie adhuc magna copia in Aegypto reperitur *l*).

OMIT-

k) An forte Nitrum erat illud, quod poft evaporationem Marini Salis obtinetur; Ammoniacum vero foffile, quod fub Cryftallorum forma apparebat?

l) Cum Arabes Antiquiores fœpe de variis Aluminis Aegyptii fpeciebus loquantur, verofimile eft eos Aluminis vagum vo-

Omittimus Mineralia plurima & nativa & apparata, quæ ex Aegypto exportabantur, uti Colores pro Pictura *m*), variasque ejusmodi procreationes, hujus enim regionis incolæ, ut solent illi apud quos vigent commercia, omnia, quæ alicujus utilitatis esse poterant, sedulo colligere vendereque consueverant.

Merces variarum Aegypti Artium.

Si vero Natura Aegypto largita est Merces eximias, Artes quoque ipsi non defuere commercio utiles. Ptolemæorum enim regnum hac in re Aegypti faciem, tamdiu sibi similem, tan-

cabulum generaliter adhibuisse de omnibus Salibus a vulgari diversis.

m) Inter Colores celebris erat Rubrica Aegyptia; item Parætonion, seu Creta Veterum Littoralis.

dem meliorem fecit, Græciæ adinstar ibi Artes coli cœpere, & honorari a Regibus illarum fautoribus, atque a populo divite luxuique debito, quem Artes vulgo comitari solent. Omnium vero maxime Philadelphus *n*), summus ille Aegyptiorum Rex, Artes amare, artifices allicere, operaque illorum colligere studuit. Sed de iis Aegyptiorum Artibus, quas cum ceteris gentibus habebant communes, non dicamus; verum tantum de artificiis ipsorum regioni & commercio fere propriis *o*).

Vitra,

n) Revocanda animo Pompa Philadelphi ab Athenæo descripta V. 196, & de qua in prioribus egimus. Aratum is Rex misit in Græciam, ut pictas coëmeret tabulas, teste Plutarcho in Arato.

o) Possemus heic de Vestibus Lineis Laneisque, in Aegypto confectis, differere, sed hæc superius jam tetigimus; sic versa vi-

Vitra.

Ex præcipuis Mercibus, quas Aegyptus Orienti Occidentique vendidit, fuit etiam Vitrum quod in illa regione magna copia, magnaque arte elaborabatur. De Vitriariis Alexandriæ hæc habet STRABO *p*): *Ego a Vitriariis Alexandriæ audivi ipſe quandam terram Vitriariam eſſe in Aegypto ſine qua ſumtuoſa quædam, & multorum colorum opera confici nequirent.* Vitrum ab Aegyptiis tranſiit ad Romanos, & prima ejus mentio eſt apud CICERONEM in deſcriptione Puteolitanæ na-

ce plura, quæ inter Artes retulimus, potuiſſent etiam in Sectione rerum naturalium arte perfecturam proponi.

p) Lib. XVI, 1099. Artem juvabat Natura, elegantiſſimi vitri materias abunde ſuppeditans; quæ hodie adhuc ex Aegypto ad Venetos deferuntur.

vigationis q). Ille vere fic habet: *At permutata aliunde pecunia eft, ductæ naves Pofthumi Puteolis funt,* (Naves ex Aegypto miffæ,) *auditæ vifæque merces fallaces quidem & fucofæ, chartis, linteis, & vitro delatæ.*

Et Martialis r):

Cum

q) Pro Rabir. Pofth. 39. Uti vitrum fic & aliæ merces Aegypto peculiari modo propriæ Romæ demum ad finem Reipublicæ cognitæ fuerunt; unde apparet huic Urbi cum Aegypto nullum fere ante hæc tempora fuiffe neque rectum, neque indirectum luxus commercium.

r) Cryftallus & Vitrum a Veteribus fœpe, ut & hodie, in communi fermone confundebantur, præcipue fi de Vitro Aegypti, quod pulcherrimum erat, fermo eft. Adeundus inter alios Salmafius in Solinum. De vario autem pretio Romani & Aegyptii vitri videndi commentatores Martialis l. c. unum viliffimum fuit, alterum pretiofiffimum.

Cum tibi Niliacus portet Cryſtalla cataplus.

Ex priori loco STRABONIS, atque ex alio MARTIALIS *s*), nunc citando, patet Aegyptios vitra ſua variis coloribus tingere, diverſo modo celare, figurare, tornoque terere potuiſſe. Sic itaque MARTIALIS in Epigrammate, quod inſcribitur Calices Vitrei:

Aſpicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

Et ſic conſtat Artem Vitriariam jam valde perfectam fuiſſe ad finem Romanæ Reipublicæ, ubi vitra Romam mittebantur *t*); quæ omnia nobis luculento

Hadrianus in Epiſtola de Alexandria: *Alii*, Aegyptiorum, *Vitrum conflant, ab aliis charta conficitur.* Vopiſcus 445.

s) Lib. 14. Ep. 115.

t) Etſi Romæ floreret Ars Vitriaria ſub

culento funt teftimonio hanc Artem jam fub Ptolemæis fuiffe fedulo in Aegypto excultam ; nil enim certius eft, quam illud, Artes per vices lenteque ad perfectionem tendere, & magnum illarum fplendorem magnam quoque iftarum apud gentem aliquam antiquitatem declarare ; hinc optimo jure Vitrum inter Merces Aegypti fub Ptolemæis ponimus, etfi ob monumentorum penuriam, non habeamus hac de re diferta Veterum teftimonia. Sic quo-

Imperatoribus, femper tamen Vitra Aegyptiorum ibi in honore manebant ob fummam elegantiam. Aurelianus voluit, ut vitri vectigal ex Aegypto mitteretur, Vopifco tefte 534. Sic, fecundum eundem Auctorem, Hadrianus ab Alexandriæ Sacerdote pretiofos calices vitreos accepit, & Serviano mifit, de quibus ita loquitur: *Calices tibi alaffontes*, colorem mutantes, *verficolores tranfmifi, quos mihi Sacerdos Templi obtulit.*

quoque minime dubitamus in Aegypto conflatum fuiſſe Vitreum illum Loculum, in quem Ptolemæus Cybioſactes Alexandrum Magnum, qui antea in aureo collocatus erat, tranſtulit *u*).

VITRI uſus jam Ptolemæorum temporibus fuit maximus, inde fiebant amphoræ, Vaſa, Calices, aliaque plura, de quibus conſulendi Viri Clariſſimi VALESIUS, *de l'origine du Verre & de ſes diſférens uſages chés les Anciens x)*.

Et

u) Strabo 1144. De Sarcophagis Veterum Vitreis adeunda Commentaria Aeliani Var. Hiſt. 14, 3.

x) *Hiſt. de l'Acad. R. des Inſcript.* T. 1. 109. Conf. Michaëlis in Hiſt. Vitri apud Hebræos, Comment. Gœtting. 4. 301. & præcipue Ill. Comes *de Caylus*, qui multiplicem Vitri apud Antiquos uſum edocuit, & multa inſignia inventa Artis Vitriariæ vetuſtæ de novo invenit. Ex eodem Auctore apparet, quam excellenter & perfecte Aegyptii Figlina opera confecerint.

Et HAMBERGERUS in Vitri Hiftoria ex Antiquitate eruta, in Comment. Gœtting. 4. 484.

Ex Vitro ab Aegyptiis Gemmæ conflabantur factitiæ, & factitia Murrhina Vafa. Teftis enim eft Auctor Peripli Maris Erythrei, p. 4. in Diofpoli fuperioris Aegypti talem fabricam fuiffe, quod, ut id repetam, fummam artis abfolutionem vetuftatemque demonftrat.

Unguenta.

IN Luxu Veterum illius ætatis, de qua nobis quæftio eft, maximus erat Unguentorum ufus; jam vero tefte PLINIO y); *Terrarum omnium Aegyptus accommodatiffima Unguentis.* Apud eundem z) diverfa Unguentorum Aegyptiorum genera late defcribuntur ac lau-

y) Lib. 13. 3. Conf. Haffelquift 560.
z) Ibid. cap. 1.

laudantur; mentionem facit Myrobalani Aegyptii, Balani Palmæ ejufdem regionis, Malobathri Aegyptii, & arboris, quam Elaten vocabant in Aegypto nafcentis, ex quibus omnibus Unguenta parabantur, quæ in tanto honore fuere, ut fœpe exportarentur *a)*. Sic in LUCIANI navigatione aliquis familiari fuo, Aegyptum adeunti, ait *b)*: *Per Ifidem amice ex Aegypto certe Nilotica illa Salfamenta - - afferre memento, aut Unguentum de Canopo.*

De Papyracea Charta.

Ex mercibus notabilibus Aegypti fuit etiam Charta Papyracea, de qua Excerpta adhibebo ex PLINIO collecta,

a) Lib. 12. c. 21. 22. 26. 28. Athenæus Lib. XIV. 665. de Unguento Aegyptio.

b) Tom. Tertio Reitzii 259. Apud Philoftratum Vit. Sophift. Lib. 2, in Vita Procli, Unguenta inter Merces Aegypti recenfentur.

cta, qui omnium optime hac de re scripsisse videtur; utar præterea insignibus commentariis, quos in hunc Auctorem vulgavere Viri Clariss. GUILANDINUS & Comes DE CAYLUS c) subjungam hinc & illinc meas quoque conjecturas, & semper memor ero me heic non de Papyro generatim, sed tantum de commercio ejus sub Ptolemæis loqui.

SIC itaque PLINIUS Lib. 13. cap. XI: *Prius tamen, quam digrediamur ab Aegypto, & Papyri natura dicetur, cum Chartæ usu maxime humanitas vitæ constet & memoria.*

CER-

c) In C. Plinii Majoris Capita - - Auctore Melch. Guilandino, Lausannæ 1756. *Differtation sur le Papyrus par Mr. Le Comte de Caylus* 1758. Ungerus de Papyro frutice, Lips. 1731.

Certum eſt Chartam Papyraceam præſtantiorem fuiſſe ceteris materiis, quibus Veteres antea ejus loco uti ſolebant, idque ob levitatem, ob parationis facilitatem, & tandem propter abundantiam, qua hæc planta ſine omni cultione iis in locis creſcebat, quæ a Nilo irrigabantur.

Subjungit Plinius: *Et hanc Alexandri Magni victoria repertam auctor eſt M. Varro, condita in Aegypto Alexandria; antea non fuiſſe Chartarum uſum; in Palmarum foliis primo ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris; poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata Linteis*, (& apud alias gentes, & vetuſtiſſimis temporibus apud ipſos Aegyptios, quod apparet ex Mumiarum faſciis,) *confici cœpta, aut ceris,*

Tradit itaque Varro Aegyptios, gentem illam longe ante Alexandri Magni tempora tantam & tam doctam, demum ſub iſto Rege Chartarum uſum cognoviſſe, qua in re ab ipſo Plinio, dein & ab aliis confutatus fuit; ſecundum quos ea materia jam ante iſtam ætatem ſcribentibus inſerviebat, quæ vero demum Alexandri ætate majori copia fabricari, & maximo numero ex Aegypto ad exteras gentes tranſire cœpit, poſtquam Alexandria commercii totius fere Univerſi centrum facta eſt *d*). Florebat itaque hoc commercium ſub primis Ptolemæis, quorum ſucceſſores illi per aliquod tempus obicem poſuiſſe videntur, donec

d) Nonnulli dicunt Plantam Papyri jam antea fuiſſe cognitam, ſed demum Alexandri M. tempore ad Chartas conficiendas adhibitam.

donec illud iterum ſurrexit ; ſic enim habet Plinius: *Mox æmulatione circa Bibliothecas Regum Ptolemæi & Eumenis ſupprimente Chartas Ptolemæo, idem Varro Membranas Pergami tradidit repertas. Poſtea promiſcue patuit uſus rei, qua conſtat immortalitas hominum.*

Antequam hunc locum explicemus ſubjungendus eſt alter Hieronymi, qui maxime ad rem noſtram facit dicendo *e*): *Chartam defuiſſe non puto Aegypto miniſtrante commercia; & ſi alicui Ptolemæus maria clauſiſſet, tamen Rex Attalus Membranas a Pergamo miſerat, ut penuria chartæ penitus penſaretur.*

Id itaque ſibi vult Plinius, vel Varro ab eo laudatus, aliquem Ptolemæorum

e) Epiſt. ad Chromatium, Edit. Froben I. pag. 98.

lemæorum Chartæ exportationem prohibuisse, qua re commotum Eumenem, (HIERONYMUS ponit Attalum,) Pergamenarum Membranarum usum aut invenisse, aut quod propius vero est, perfectiorem frequentioremque reddidisse; dein vero Chartarum & Membranarum usum promiscue patuisse. Valde autem inter eruditos disputatur, de quonam Ptolemæo heic sermo sit, quidam ad Philadelphum referunt, cum Bibliotheca Alexandrina fundata videatur Rege isto una cum Patre imperium tenente. Sed cum is longe ante Eumenis vixerit tempora id sic concipiunt, ac si Philadelphus librorum curiosus Chartæ exportationem suppresserit, quod edictum Eumenis tempore adhuc perdurans illi ex eorum mente originem dedit cogitandi de perficiendis Membranis; Verum sic intelligi

telligi nequit PLINIUS, idque eo minus necessarium, cum constat omnes fere Ptolemæos, etsi otio & desidiæ deditos, tamen a Patribus suis accepisse, ut haud minimam gloriam voluptatemque in ornanda Bibliotheca Alexandrina collocarent. Assentior itaque Clar. BONAMY *f*), qui putat Aristonymum, Ptolemæi Epiphanis Bibliothecas tractantem, cum ad Eumenem Attali Primi filium Librariæ Pergami suppellectilis conditorem transire voluit, huic æmulationi ansam dedisse; accessisse dein invidiam Bibliothecæ istius quottidie auctæ, ita ut tandem aut ab ipso hoc Rege, aut ab ejus filio præscriptum fuerit istud mandatum, quod uni ex præcipuis com-

f) *Dissertation sur la Bibliotheque d'Alexandrie* in *Mém. de l'Acad. R. des Inscript.* T. 9. pag. 398, & præcipue 404.

mercii Aegyptiaci partibus plane fuit contrarium, cum Aegypti Reges femper debuiffent in id intenti effe, ut Papyri abundanter apud fe crefcentis frequens ubique ufus & maxima exportatio effet. Sed tantum in Rege valuit vel litterarum laudandus amor, vel forte vana æmulatio.

POST pauca quædam fic pergit PLINIUS: *Papyrum ergo nafcitur in paluftribus Aegypti, aut quiefcentibus Nili aquis, ubi evagatæ ftagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum.*

PAPYRUM itaque PLINIUS Aegypto præcipue tribuit, idque recte, etfi enim in Sicilia, Apulia, Calabria, India, Nigro & Euphrate illius quædam fpecies fuerint g), tamen illæ Chartæ

g) Papyrus eft Planta ex maximo Cyperorum genere.

Chartæ Papyraceæ faciendæ, ſi ultimam excipiamus, utiles non fuere; imo & ipſa Aſſyria rariſſime videtur ad hunc uſum adhibita, cum contra Papyrus, & Charta quæ inde conficitur, Veteribus ubique dicatur Aegyptia, Pharia, Nilotica.

- - - - *Chartam, quam gens*
Aegyptia mittit h).

SUBJUNGIT tandem PLINIUS Chartæ Papyraceæ parationem, ubi notandum

Aa 4

h) Q. Seren. Samonicus 1. 10. pag. 226. T. 2. Poët. Burm. & ibid. Keuchenius. Aegypto ſoli Papyrus tribuitur ab Ibrahim Ben Ouaſaff Schach, in Libro de Prærogativis Aegypti apud *d'Herbelot. Bibl. Orient.* 580. Creſcebat in Nomo Sebenyt. teſte Varrone; in Memphitide terra ſecundum Lucanum 4. 136. Apud Saitas monente Plinio. In Mareotide teſte Martiale 14, 209. In omnibus inferioris Deltæ partibus auctore Strabone 17, 800.

tandum videtur Illuftr. Comitem DE CAYLUS docuiffe duplicem illam a PLINIO defcribi, primam, quæ in Aegypto locum habuit turbida Nili aqua glutinis vicem fuftinente; alteram perfectioremque ex eadem materia de novo Romæ præparatam. Omnem itaque Papyraceam Chartam Aegyptus mittebat, fed illa nomina Augufti, Liviæ, Fannii, aliaque accepit Romanæ originis, quia ex Aegypto illuc allata, denuo abluta, iterum preffa, glutino in majus volumen extenfa, perfectior reddebatur; feu quod Aegyptii illam non tam elegantem facere poffent, feu quod id præftare nollent, quia merces, quæ univerfo hominum generi venduntur, præfertim ita elaborandæ funt, ut quilibet, etiam pauperrimus, illas levi pretio comparare queat *i*).

ISTUD

i) Non affentior itaque illis, qui Romæ

Istud Chartarum commercium ſub Ptolemæis florens diu poſtea adhuc

ex Papyro Italiæ Chartas ſœpe confectas volunt; qui de Corticea ſcribunt Charta non ea, de quibus ſermo eſt reſpiciunt tempora, & tantum illa loca, ubi ob diſtantiam Mediterranei Maris in caſu quodam neceſſitatis talis facta fuit. Aliter tamen Strabo 1151 de cultura Papyri Aegyptiaci hæc tradens: *Nonnulli, ut reditus augerent Judaicam verſutiam adhibuerunt, quam illi in Palma Caryot. atque Balſamo excogitaverunt, non enim permittunt multis in locis naſci*, Papyrum, *qui ſit, ut raritati pretium imponentes reditum quidem augeant, commercii vero uſui damnum inferant.* De ſuo tempore Strabo heic loqui videtur, ſaltem de tali, quo Aegyptii, a ſordidiſſimis Judæis, magna copia Alexandriæ viventibus, omnes etiam injuſtiſſimas commercii verſutias didicere.

fubftitit, donec Bombycinæ Chartæ ufus invaluit. HADRIANUS Imperator de Alexandria fic fcribit *k*): *Civitas opulenta, dives, fœcunda, in qua nemo vivat otiofus, alii vitrum conflant, ab aliis Charta conficitur.*

VOPISCUS quoque afferit *l*), Firmum Negotiatorem Aegypti, qui ejus dein imperium tenuit, *tantum habuiffe de Chartis, ut publice fæpe diceret exercitum fe alere poffe Papyro & Glutino.* Quæ verba quidam ita accipiunt, ac

k) In vita Saturn. apud Vopifcum. Cyrillus Alexandr. Comment. in Efaiam Operum V. 204. de Aegyptiis, *Papyrum defccant, Chartæ confectores funt.*

l) In Vita Firmi 2. 696. Philoftr. Vit. Sophift. L. 2. in Proclo Naucratita inter Merces Aegypti numerat Thura, Ebora, Unguenta, Libros & Papyrum. Hic itaque Auctor Papyro addit Libros; fic Strabo 13, 907, Librariorum Alexandrinorum mentionem fecit.

ac ſi de Papyro Glutinoque loquatur, ut de rebus edulibus, alii vero de pretiis iſtarum mercium.

Mvltvs certe verboſuſque fui in ultima iſta Sectione, imo in tota mea ſcriptione, de qua tamen minime exiſtimo illam omnem Hiſtoriam Commercii & Navigationum Ptolemæorum exhibere; fragmenta tantum ejus rei protuli, ſed plura ex Veteribus, quamvis curioſius illos inveſtigaverim, haurire non potui.

F I N I S.

DIS-

DISSERTATIO QVINTA

DE

INSCRIPTIONIBVS NARBONENSIBVS

AD VIRUM ILLUSTREM

SEBASTIANVM DONATVM

LVCCENSEM

RECTOREM CONCORDII DE S. MORIANO

ACADEM. LVCCENSIS, CORTONENSIS

ET TOLOSANAE SODALEM

INCLYTISSIMVM.

DISSERTATIO QVINTA

DE

INSCRIPTIONIBVS NARBONENSIBVS

AD VIRVM ILLVSTREM

SEBASTIANUM DONATUM LUCCENSEM.

GRUTERO ac MURATORIO Complementa paras, jubeſque, quod mihi magno honori eſſe duco, ut meos labores in iſto Studiorum genere ad te mittam. In hunc finem Helvetiæ, quæ mihi Patria eſt, Titulos antiquos commentariis explanatos exhibui. Adjeci dein Aegypti, quam ut alteram diligo Patriam, vetuſtos Lapides. Nunc Galliæ Inſcriptiones quaſdam mittam in longo, quod per ejus Provincias in-

ſtitui

ſtitui itinere, pro eo qui mihi eſt te juvandi ardore, ſedulo collectas.

VIENNAE Titulos deſcripſi plures comite Clar. CHARVET; alios Avenione accepi per Cl. CALVETUM, rerum antiquarum valde peritum; iterum alios Aquis Sextiis conſpexi a Summo PEIRESCIO traductos, qui hodie in Muſæo Illuſtr. Præſidis DE ST. VINCENT ſuperſunt. Maſſiliæ ope Eruditiſſimi Abbatis ALLIAUD Græcos quoſdam Lapides inveni. Duce Cel. DU MOULIN Agrum Arelatenſem vetuſtis Inſcriptionibus refertum viſi reviſique. Nemauſi innumera Monumenta perluſtravi præſentibus Nobil. DE ROCHEMORE, & Clariſſ. SEGUIERIO, maximo harum litterarum fautore. Toloſæ plura vidi inedita Monumenta apud Illuſtr. Præſidem D'ORBESSAN *m*). Quos omnes opti-

m) **In eadem Urbe penitus intravi in**

optimarum disciplinarum studiis eruditos heic nominare placuit, quia Litterarum Litteratorumque magni interesse existimavi, ut qui in has regiones iter instituunt, scirent quinam ibi harum Artium callidi, & quod expertus dico, erga exteros summa comitate insignes existerent.

PRAESENTI vero scriptione, omissis Lapidibus eorum locorum de quibus nunc locutus sum, illos tantum tangere in animo est, quos in nobilissima Galliarum Urbe *Narbone Martio*, Decumanorum Colonia, descripsi.

IN ista itaque Civitate apud L. B. Abbatem DE BRETEVIL, virum praeclara eruditione & doctrina excultum,

familiaritatem Amici tui Clar. MARTINI DE ST. AMAND, praestantissimi Antiquarii, cujus obitus litteris luctuosus, patriae tristis, & nobis extraneis non sine cura fuit.

hodieque ad dignitatem Epifcopi Montis Albani evectum, in duos incidi Manufcriptos Libros, quorum prior infcribitur : *Les Antiquités de Narbonne par Le Sieur Lafont Bourgois du dit Narbonne en 1700.* magno volumine formæ, ut vocant, Octavæ. Hoc opus omnes Infcriptiones Narbonis Martii continet, locaque ubi fuperfunt edocet. Alterum a fratre iftius confectum hunc præfert titulum: *Narbonne Ancienne par Messire Jerome Lafont Prêtre, Bachelier en Théologie, Docteur en l'un & l'autre Droit., Chanoine de l'Eglife Collégiale de St. Juft, & de St. Sebaftien de Narbonne;* tribus magnis Voluminibus in Quarto; ubi omnia, quæ Veteres Scriptores Lapidefque Antiqui de Narbone Martio docent, latiffime declarantur. His adjutus Libris in omnes eos Titulos, quos LAFONTIUS indicabat, inquifivi; illofque de novo defcripfi, &

dum

dum Lapides cum LAFONTIO conferrem, dubitavi utrum magis laborem ejus aſſiduum, cui per triginta, & amplius, annos incubuit, mirari; vel potius exquiſitum harum rerum judicium, quod ipſi deerat, deſiderare deberem; qua de re factum eſt, ut non ſemper ejus deſcriptionibus, rarius adhuc ejus explicationibus calculum adpoſuerim. Et quod præcipue doleo vidi illum ſimulac Inſcriptionem delineare incepiſſet, ſtatim conjectura aliqua ſenſum ejus aſſequi tentaſſe, quas divinationes, etſi plerumque a vero aberrantes, tamen ut fieri ſolet, ita vehementer amabat, ut ſequentia eo modo legeret, qui opinionem ejus ſtabilire poterat; hinc accidit, ut in iis Lapidibus, quos mihi videre non contigit, & quos ex ſolo LAFONTIO profero, plura ſubleſtæ fidei videantur; ſed neque meas deſcriptiones ab omni errore immunes

effe glorior, illi fe hinc & illinc ingerere potuerunt, cum multi Tituli valde detriti, & ab oculis nimis remoti fuerint.

SELEGI autem pro ifto Fafciculo præcipuos Narbonenfium Lapides, quos GRUTERUS & MURATORIUS nondum vulgavere *n*); in eofque Commentaria confcripfi, ubi ea tantum, quæ nova videbantur, explicare tentavi. Contuli BREVALII, MAFFEIque Itinera Galliæ; CATELII *Hiftoire du Languedoc;* & Reverend. PP. Ord. Bened. Faftos ejufdem Provinciæ circa illos

n) Difficillimum eft fcire, quinam Tituli vulgati fint, quinam inediti, hac in re adjutus fui manufcripto opere nunquam fatis laudandi Seguierii, qui immenfo labore confcripfit Indicem, ubi primo intuitu, ordine, optimo omnes Infcriptiones apud quosvis Auctores obvias, deprehendere licet; cujus promulgationem avide exfpecto.

illos Titulos, quos apud laudatos Auctores editos fuisse novi. Addidi Emendationes Conjectationesque in nonnullas Narbonensium Inscriptiones a GRUTERO & MURATORIO jam antea pervulgatas.

NUM. I.

NVMINI AVG.
ET NVMINI
AVGVSTORVM
SACRVM
ADJECTO TETRASTI . . .
O ET AERAMENTIS
OMNIBVS
JVLIA NATALIS
D. S. P. F. C. IDEMQVE
EDIC. T. T. L. D. D. D.

EDITA est hæc Inscriptio in *Preuves de l'Histoire du Languedoc par les Benedictins Tom. I.*

NVMINI AVG. De Numine cœleſti.

NVMIN. AVGVSTORVM. LAFONTIVS conjicit intelligendos aut Cajum & Lucium, aut Agrippam ac Tiberium. Sed referendus Titulus vel ad M. Aurelium & L. Verum, *tunc enim primum*, teſtante CAPITOLINO *imperium duos Auguſtos habere cœpit*; aut ad Pupienum & Balbinum. Conferendus Clar. BVXTORFIVS de Inſcriptione Helvetiorum, quæ eſt ad Birſæ Fontem, & incipit NVMINI AVGVSTORVM.

TETRASTILO. Tetraſtylon quatuor habebat Columnarum Ordines in fronte & interiore ædis corpore. VITRVVIVS III. 2. & VI. 3. BALDVS & DE LAET in Lexico Vitruviano.

AERAMENTIS. Aeramenta ſunt opera, heic Ornamenta, ex Aere. Vox Pliniana.

IDEM-

IDEMQVE. Vel positum pro Itemque; vel adverbii loco, quod est contra morem receptum.

EDIC. T. T. Mallem DEDICAVIT.

NVM. II.

In fidem Lafontii.

Q. T. FECIT VRSA
MARCIANA SACER
DOTE
JVLIO EVEREPEDO
TAVROPOLIVM MATRI
DEVM.

INNVMERA in Narbonis Martii Colonia exstant Tauropolia, hoc ita legendum est: TAVROPOLIVM MATRI DEVM QVOD FECIT &c.

NVM. III.

Descripsi in ArchiEpiscopi Aedibus.

L. AFRANIVS CERIALIS L.
EROS IIIIII AVG. DOMO TA

RACONE OSPIT ALIS A GAL-
LO
GALLINACIO AFRANIA CE-
RIA
LIS L. PROCVLA VXOR
AFRANIA
L. L. VRANIE F. ANNORVM XI.
HIC SITA EST.

HANC Infcriptionem vulgavere FLEETWOOD, BREVAL, GVDIVS pag. 100. & SPONIVS in Mifc. 199.

IIIIII. AVG. Seviri Auguftales Narbonenfium non femper fuere nobili genere aut muneribus egregiis confpicui. Heic habemus Cœnacularium, mox Aurificem iftius Coloniæ Sevirum videbimus. De hoc officio, de quo multum difputatum fuit, conferri poteft Clar. DE BOCHAT *Mém. Crit.* T. 2. pag. 446. XI. *Mémoire; Des Seviri Auguftales.*

OSPI-

OSPITALIS A GALLO GALLINACIO. SPONIVS recte monet ex hoc Monumento concludendum Veteres, non secus ac Recentiores, Diversoriis Insignia Animalium appendisse; de quo mihi præter istum Lapidem non aliud succurrit argumentum. Nulla hujus rei mentio in STVCKII Antiq. Conviv. nulla in TOMASINI Thess. Hospital.

L. L. VRANIE. SPONIVS legit L. LVRANIE.

NVM. IV.

Secundum Lafontium.

L. LIB. OPTATVS
AVRIFEX IIIIIIVIR
AVGVST. C. I. P. C. N. M.
SIBI ET
L. CORNELIO EPHESO
L. CORNELIO CAMPANA
L. CORNELIO THIALIO

Ab initio aliquid deesse videtur.

C. I. P. C. N. M. Colonia Julia Paterna Claudia Narbo Martius; de quibus Titulis videndi Catel, *Mémoires de l'Histoire du Languedoc* p. 85. *Histoire Generale du Languedoc par deux Benedictins.* T. I. pag. 600. *Mémoires pour l'Histoire Naturelle du Languedoc* p. 30.

Thialio, Mallem Thallo, quod frequens.

Nvm. V.

Ex Lafontio.

FANNIA C. L. CELIA
SIBI ET
C. TREBONIO ABVNDO
VIRO SVO
IIIIII AVG. N. M.

N. M. Narbonis Martii.

Nvm.

NVM. VI.

Ex Lafontio.

. . . S DVOMVIR

. . . O VIRO AVGVR

. . . FECTVS NAV. . .

. . . TIS ARBITRATV.

SVNT in hac Infcriptione quædam male defcripta, & multa dubia. Legendum videtur *Duomviro Seviro Augustali Præfectus Navium.*

NVM. VII.

Ex Lafontio.

CN. OCTAV.

PRO IIVIR.

NVM. VIII.

Secundum Lafontium.

V. L. ALBIVS

LEPIDVS AEDIL CO

CLANO CONL.

AEDIL CO. Aedilis Coloniæ.
CONL. Conliberto.

NVM.

NVM. IX.

Secundum Lafontium.

C. IVLIVS. C. F.
GAL. ITALVS
EQVES ROMANVS
EX HISPANIA
CITERIORE
SEGOBRIGENSI.

NVM. X.

Secundum Lafontium.

Q. AKANIVS
Q. F. RVFVS
TER
DICTATOR IN
IVNILICIIS.

QVID fit DICTATOR IN JVNILICIIS nefcio. LAFONTIVS, qui omnia explicare voluit, afferit Menfe Junio Narbone Martio Nundinas celebratas, Dictatoremque iis præfectum fuiffe, quod ut evincat affert loca Antiquorum

tiquorum de mercimoniis & Commerciis Narbonenſium; ſed probandum fuiſſet Fora iſta Nundinaria Junio Menſe frequentata Junilicia vocata fuiſſe; confirmandum quoque eſſet iſtius emporii Præſidem Dictatoris titulum habuiſſe, quod veri ſpeciem non habet; etſi certum ſit Dictatores etiam extra Romam fuiſſe, eoſque non ſolum rerum gerendarum cauſa electos, ſed etiam ob Comitia, ob Ferias ob Quæſtiones exercendas; de qua re videndi HOTTOMANNVS & innumeri alii, qui de Romanorum Magiſtratibus egere; præcipue vero JENSIVS in ſingulari libro de Dictatura P. R.

NVM. XI.

In fidem Lafontii.

EN ROMA.

LAFONTIVS legit *En Romam*, ſeu *Romanam Viam;* exiſtimans Titulum

lum pertinere ad antiquam aliquam Urbis majorem Portam, quod cum insolens sit dubium est.

NVM. XII.

Descripsi in Aedibus ArchiEpiscopi.

ACTORIVS L. L. SPAER.
SAGARIVS.

SPAER. *Sparus* conf. MVRATORIVS 1279. 3.

SAGARIVS. Qui Saga vendit. Horum mentio apud MVRATORIVM. Apud GRVTERVM occurrunt *Negotiatores Sagarii* 650. 2. & 4. *Collegium Sagariorum*, in SPONII Misc. p. 67.

NVM. XIII.

Ex Lafontio.

VIVONT
L. OPPIO QVIETO
CAPISTRARIO
MALIAE CARAE
CONTVBER. PER ANNO..
SINE IVRGIO VIVONT.

CA-

Capistrario. Capiſtro, Capiſtrum, Capiſtratus, vulgata ſunt verba; Capiſtrarii vocem nondum legi. Addenda Vocabulariis, & præcipue Indici Critico Corradini De Allio novarum vocum ex Scriptoribus & Lapidibus erutarum.

Per Anno. Id eſt *per Annos multos.*

Nvm. XIV.

Ex Lafontio.

VIV.

P. LICINIVS

P. L. LICINIVS

VESTIARIVS

SIBI ET SVIS

SERGIA IVNNI

SIBI ET SVIS.

Lin. 3. Licinivs. Repetitum iſtud Licinii nomen locum habere nequit, legendum Licinianus, vel quid ſimile.

De

De *Vestiariis* sæpe Auctores, sæpe Lapides, quod vel ex solis GRVTERI & MVRATORII indicibus patet.

NVM. XV.

Ex Lafontio.

VIV.
M. ACCIVS
M. L. PRIMVS
VESTIARIVS
SIBI ET
OPTATO L.

NVM. XVI.

Descripsi Narb. Mart.

VIVONT
L. GAIENINA
MASCLVS
NAVCLARIVS
SIBI ET SVIS
IN F. P. XV.

Nvm. XVII.

Secundum Lafontium.

. . . . .

RVDIARIO

AMICO.

Rudiarius, vel qui Saga rudia polit, ruderarium cibrum facit & rudiora Linteamina, Festus. Vel, quod magis arridet, Rude donatus Gladiator Veteranus emeritus, qui diu ſtrenue pugnavit, Artiſque miſſionem impetravit, Lipsius Sat. 2. c. 23.

Nvm. XVIII.

Ex Lafontio.

M. ACER VELIT

. . . CAESARIS . . . .

Lafontius legit *M. Acer ex Velitibus Cæſaris.* Ego vel *Macer Velternus*, de Patria, vel *Veteranus*, de Munere, ſcribendum arbitror. Velitum mentio in Lapidibus aut rara aut nulla, valde enim incertum an ad eos refe-

renda Infcriptio MURATORII 847. 7. quod ifti Auctori placuit.

NUM. XIX.

Ex Lafontio.

ANELIA

SECVNDA

VXSOR NAT

FRVGI HIC SEPV

OBLIVIO

MONVM.

Ab initio ad finem multa funt dubia.

NUM. XX.

Defcripfi Narb. Mart.

MORTVA CVM FVERIS FATI Q'VOD

LEGE NECESS EST

VSTA CINIS PROPRIO

CONTEGAT OSSA SOLO

SACRATAM CVNCTIS SEDEM NE

LAEDE VIATOR

HANC TIBI NASCENTI FATA

DEDERE DOMVM.

Edita

Edita eſt hæc Inſcriptio a BREVAL Tom. 2. 221. Libri, qui inſcribitur; *Remarks on ſeveral parts of Europe relating to the Hiſtory and Geography, London.* BREVAL lin. 1. legit *Neceſſe eſt*, ſed vidi *Neceſseſt* eliſionis lege.

NVM. XXI.

Deſcripſi Narb. Mart.

V.

Q. ONVMISIVS

Q. F. PROCVLVS

IVVEN. RAR. SIBI ET

Q. ONVMISIO ERONT . .

PATRI ET GALLIAE

SILVANAE MATRI.

JUVEN. RAR. Juvenis Rarus, Rariſſimus. STATIUS Silv. 4. 8. 32.

Sed queror haud faciles juvenum
rariſſime queſtus.

Sœpiſſime in Lapidibus occurrunt *Uxores rariſſimæ, Feminæ exempli rariſſimi*

NVM. XXII.

Descripsi Narb. Mart.

V I V.

C V P V I A

SCAMNI FIL.

VRBANA ETIMACO

HIC

OSSA IGNE COCTA

QVIESCIT ET

DIGNE QVIA

PATRONO PLACVIT

ETIMACO. Scriptum est hoc nomen per compendia litterarum, sic ut legi queat *Etimaco* & *Teimaco.*

NVM.

Nvm. XXIII.

Descripsi Narb. Mart.

L. RINNIAE
P. L.
RVMAE
HIC EST SEPVL.
L. RINNIA PRIME
L. AVCTA SIBI ET
PATRONAE
HIC SEPVL. CIPPO.
EX PAR. DIM.

Ex Par. Dim. Lafontius legit Ex Par. Dia. & explicat *Ex Parte Diali*, seu Orientali. Legendum *Ex Parte Dimidia*, Veteres enim sœpe Monumenta in duas pluresve partes dividebant, & cuilibet domino suam assignabant. Romæ: Curtia c. l. Priapis Cui Pars Dimidia Hujus Monimenti Concessa Est. Et plurimi alii Veterum Lapi-

 des

des, quos in hanc rem citavit mihi non exscribendus KIRCHMANNUS Lib. 3. de Funer. Rom.

LAPIDIBUS istis a GRVTERO & MVRATORIO nondum vulgatis, addendas existimo quasdam Emendationes Conjectationesque de iis Narbonensium Inscriptionibus, quas Auctores isti non exacte legisse videntur.

N V M. I.

GRVTERVS 373, 1. Exhibet Lapidem Narbonensem, ubi lin. ult. loco V. L. BAEBIVS, legendum est V. L. BAEBIVS AVCTVS.

N V M. I I.

GRVTERVS 406, 3. Narb. Mart. M. FABIVS T. F. AEDILIS. In Lapide vidimus M. CAESIVS T. F. AEDIL. Consulendæ etiam *Preuves de l'Histoire du Languedoc 12.*

NVM.

NVM. III.

GRVTERVS 496, 3. Ex SCALIGERO ſic profert Narbonenſium Lapidem:

DVOMVIR ITERVM
L: NARB. MATΨ. DON.

Lin. Secunda legendum MART. DOM. Vide *Preuves de l'Hiſtoire du Languedoc par les Benedictins 10.*

NVM. IV.

GRVTERVS 566, 8. Narbonis Lapidem vulgavit, qui ſic habet:

SE VIVO
T. VALERIVS
T. L. FABIA TITVLVS
CABALIENSIS
VETERANVS.

CABALIENSIS eſſet ex Cabellione Urbe, quam STRABO & PEVTINGERIANA TABVLA vocant Caballionem, hæc hodie eſt *Cavaillon.* Ipſe

autem in Lapide vidi GABALIENSIS, Gabali noti Galliæ Populi, quorum Pagus hodie *Gevaudan*, Vicus *Javoux* & *Javols* vocatur, retento, ut videtur, veteri Gabali nomine; horum mentio occurrit in Inſcriptione vetuſta apud SIRMONDVM & REINESIVM Append. 15.

NVM. V.

GRVTERVS p. 645. n. 2. ex SCALIGERI Manuſcriptis, Narbone Martio.

V I V.
VALERIVS EMELLVS FORTVLIENSIS
AVGVARIVS SIBI ET JVLIAE M.F.
VINTAE VXORI J. A. P. Q. XV.

Eundem Lapidem pro more ſuo peſſime vulgavit CATEL *in Memoires de l'Hiſtoire du Languedoc* p. 103.

LAFONTIVS vero ita legit:

VIV.

VIV.
Q. VALERIVS
GEMELLVS FORO
JVLIENSIS
SVGVARIVS SIBI
ET JVLIAE M. F.
QVINTIAE VXORI
IN A. P. Q. XV.

SVGVARIVS, Corrupte pro SAGARIVS positum videtur.

NVM. VI.

Apud GRVTERVM p.647. n.4. in Narbonis Martii Lapide loco L. NEFFINIVS legendum est NERFINIVS, aut potius NERPINIVS.

NVM. VII.

GRVTERVS p.676. n.6. ex SCALIGERI Schedis Narb. Mart.

A. CORNELIVS A. F. V.
METELLVS Δ FORO JVLI
SIBI ET VOCONIA Q. F. OPTATIO
Θ. A. CORNELIO O QVA
CORNELIAE SENTRO.

Hoc Monumentum non sine pluribus erroribus vulgavit CATEL pag. 92. LAFONTIVS ita legit:

VIVOS

A. CORNELIVS A. F. V.

METELLVS FORO JVLI

SIBI ET VOCONIA Q. F. OPTATA

Θ. A CORNELIO OQVA

Θ. CORNELIAE SENTRO.

NVM. VIII.

GRVTERVS pag. 986. n. 2. in Inscriptione Narbonis, nunc in Angliam traducta, legit POSTHVS, legendum POETHVS, quod, ut videtur, positum pro BOETHVS. *Posthus*, nisi contra Lapidem foret, conveniret. Lin. 5. ex conjectura pro VICARIA mallem VICARII. Hoc Monumentum etiam exstat in *Preuves de l'Histoire du Languedoc par les Benedictins*, pag. 14. & apud CATEL. 99.

NVM. IX.

MVRATORIVS IIII. n. 7. Ex SIRMONDO & MAFFEIO edidit Lapidem Narbonensem, qui sic habet:

C. MANLIVS C. F.
PAP. RVFVS. VMBER EX
DECVRIA LICTORVM VIATO
RVM QVAE EST C. I. P. N. M.
FECIT SIBI ET SVIS.

Hanc Iuscriptionem ipse vidi, sed in eodem Lapide inferius addita alia non separanda, quam ita descripsi.

C. CASSIO CLEMENTI ET
PRESIDIAE RESTITVTAE
CONTVBERNALI ET
C. CASSIO EXORATO FILIO
C. CASSIO VIATORI LIBER
sic
CVMB ARIS.

Lin. 2. Superioris Tituli CATEL legit EXSS DECVRIA. REINE-

SIVS

SIVS 616. Ex S. DECVRIA, quod pessime explicat *Ex Secunda Decuria.* In Lapide exstat EXS veteri scribendi modo; sic Nemausi vidi EXS VOTO, sic VXSOR sœpissime, quod a REINESIO non animadversum fuisse miror. Hoc Monumentum etiam vulgavit BREVAL.

Mihi vero Vir Illustris pergratum esset, si præsens Scriptio tua attentione, tuoque, quod maximi semper faciam, suffragio digna foret; periucundum, si illa Supplementis tuis GRVTERIANI ac MVRATORIANI Thesauri utilis videri queat.

FINIS.